This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

25232
23
8

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY



THOMÆ CANTIPRATENSIS

BONUM UNIVERSALE DE APIBUS

QUID ILLUSTRANDIS

SÆCULI DECIMI TERTII MORIBUS CONFERAT

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

THOMÆ CANTIPRATENSIS

BONUM UNIVERSALE DE APIBUS

QUID ILLUSTRANDIS

SÆCULI DECIMI TERTII MORIBUS CONFERAT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

E. BERGER

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ OLIM SOCIUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD THORIN FILIUMQUE BIBLIOPOLAS

4, VIA DICTA LE GOFF, 4

—

MDCCCXCV

~~III. 9023~~
~~25232.23.8~~
25232.23.8

HARVARD UNIVERSITY
LIBRARY
JUN 15 1992

MAY 21 1898
LIBRARY.

Henry Ford.

AUGUSTO GEFFROY

GALLICÆ IN URBE SCHOLÆ RECTORI

THOMÆ CANTIPRATENSIS

BONUM UNIVERSALE DE APIBUS

QUID ILLUSTRANDIS

SÆCULI DECIMI TERTII MORIBUS CONFERAT

I

DE VITA THOMÆ CANTIPRATENSIS.

Thomas Cantipratensis licet inter scriptores historiarum non sit reponendus, plura tamen in ejus operibus, et in hoc præsertim, cui studemus, libro reperienda sunt, quibus tam res eo vivente gestæ quam ætatis illius mores illustrentur. Et ea quidem ille mente scripsit, ut æquales, et potissimum monachos, ad bene vivendum incitaret, minime vero ut posteris documenta relinqueret, unde locupletarentur annales. Nobis istius, quod in animo habuit, propositi parum curiosis liceat librum non illepide scriptum, sed rudi arte digestum præposteroque hirsutum titulo evolvere, in quo multa de ordinibus religiosis, et maxime de fratribus Prædicatoribus inveniemus, de moribus, quales eo tempore tam apud sæculares clericos quam inter laïcos viguerint, complura. Adsunt reges, optimates, mulieres illustri obscurove loco natæ, summi etiam pontifices, cum cardinalibus et prælatis, ne de reliquo clero loquar, quos omnes Thomas, ut ceteris virtutum vitiorumque præbeat exempla, obiter laudat vel contumeliis afficit, nunc ad cælum extollit, nunc demergit in infernum, eo etiam tempore veri amans, quo, urgentibus invidiæ stimulis, veritatem justitiamque inscius offendit. Sed antequam *Bonum universale de apibus* propius inspiciamus,

pauca de Thomæ vita, de reliquis ejus libris nonnulla dicenda sunt.

Inter auctores convenit Thomam in urbe Leuwis Sancti Petri dicta [1] et prope Bruxellam sita natum esse; quod quidem illi qua auctoritate fulti asseruerint ignoramus, nisi forte quibusdam Thomæ verbis innitatur hæc eorum opinio, quibus ille narrat ibi natam ætatis provectæ mulierem, patris sui consobrinam [2]. De patria certe minime dubitandum, cum ex omnibus ejus scriptis illum e Brabantia oriundum esse manifesto pateat. De anno natali parum constat, etsi quodam loco dicit se sexaginta annos natum esse, uno minus [3]. Cum autem librum *De apibus*, in quo hoc scripsit, inter annos ab incarnatione Christi MCCLVIII et MCCLXI inchoavisse et absolvisse videatur, id unum nos profiteri velimus, Thomam Cantipratensem anno circiter MCC genitum.

Patrem habuit nobilem genere, militarique cingulo accinctum, quem ipse olim sub Ricardo primo, Angliæ rege, in Britannia minore vel vicinis partibus bellum gessisse dicit [4]. Hic cum in Terram Sanctam cruce signatus devenisset, in eo monte, quem sua lingua Franci Nigrum vocabant, quemdam eremitam peccata confessurus adiit, a quo responsum accepit se admissas culpas per pœnitentiam non ex facili diluturum, sed si filium haberet, eumque litterarum addiceret studio, ita ut sacerdos Christi fieret, per hunc se obtinendæ salutis spem habiturum. Reversus ergo miles in patriam, filium, tunc puerum, multis precibus et lacrimis obsecrat ut ad studium litterarum se conferat, eumque ad cælibem vitam provocat; paternis inde hortationibus victus Thomas ad scholas mittitur, pioque officio per multos annos non segniter, ut ipse narrat, incumbit: « et spero, ait, divina suffragante gratia, quod tam per me, etsi minus idoneum, quam per alios, quos publice in sermonibus vel secrete in consilio ad orandum pro illo inducere efficaciter potui, adjutus sit multis modis. Mihi quoque Christus testis sit quod, si quando pro eo celebrare distulissem, alias impeditus, ipse mihi apparebat in somnis, et manibus ostensis,

1. Urbis nomen J. Quétif et J. Échard latina lingua hoc modo scripserunt (*Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 250 a).

2. Thomæ Cantipratensis *Bonum universale de apibus*, opera Georgii Colvenerii anno 1627 typis mandatum, lib. II, cap. XLIX, § 6.

3. *Ibid.*, lib. II, cap. XXX, § 46.

4. II, LVII, 28.

plagis plurimis vulneratis, me utique, quare patrem filius non juvarem, sinceriter arguebat [1]. »

De matre Thomas non nisi semel locutus est, dicens illa narrante sibi ea quæ sequuntur innotuisse. « Avia, inquit, mea filium primogenitum habuit, indole insigni et decore præcipuum, quo mortuo, inconsolabiliter doluit, nec forte sine præsagio futuri mali. Nam post illum alium habuit, qui etsi insignis militia fuit, et pompa vanitatis electus, dilapidator tamen paternæ hereditatis prodigalissimus fuit. Matre ergo, ut dictum est, primogenitum inconsolabiliter lamentante, apparuerunt ei juvenes in via quadam, ut visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes. Cumque, memor filii, eum inter illos non esse videret, et fleret, ecce post alios filium lento gradu subsequentem agnovit; cui mater cum gravi clamore dixit : « Et quid est, « fili, quod solus, et non cum aliis, graderis retardatus? » Cui ille, in toga laterali magnum aquæ pondus ostendens : « Ecce, « inquit, mater, lacrimæ, quas pro me inaniter effudisti, qua- « rum ponderc ab aliorum prosecutione retardor. Ad Deum « ergo lacrimas commutabis, et in præsentia sacrificii corporis « Christi cum eleemosynis pauperum pro me cor pium et devo- « tum effundas, et tunc liberabor ab incommodo, quo nunc « gravor [2]. » Eum nos, qui de aviæ lacrimis ista narraverit, opinamur et optimum filium et teneri animi virum fuisse.

Ceterum ipse legentem docet Thomas non unum se ex gente sua religiosam vitam amplexum esse; quemdam enim e consanguincis commemorat, qui fratrum Prædicatorum vestem induerit. Dicitur is, dum quodam mane in dormitorio vigilat, dæmonem sub specie formosæ mulieris apparentem e proprio cubili, dorso ad parietem posito, projectis pedibus et erecto pugno expulisse [3]; quod utique Thomas et sic factum esse credit, et laudat, ut qui ingruentes Tartari incolas nonnunquam a se in fugam versos profiteatur.

Quod autem ad eas scholas, in quibus pueritiam exegerit, nihil certum; et ait quidem se in quadam civitate episcopali annis undecim adolevisse, « ubi sexaginta duo canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum fere librarum parisiensium in matrice ecclesia serviebant [4]. » Civitatem illam Leodium

1. II, LIII, 32.
2. II, LIII, 17.
3. II, LVII, 37.
4. I, XIX, 10.

fuisse volunt, scholis celebribus ea tempestate florentem ; sed de hoc forte dubitandum est ; in ea nempe regione, præter Leodium, Cameracensem quoque civitatem fuisse novimus, in qua litterarum elementa puer doceri optime poterat, cuique vicinum fuit Cantipratense monasterium, ubi Thomas magnam vitæ partem postea duxit. Remaneat ergo res in dubio, et quæcumque fuerit illa civitas, hoc tantum eo teste pro certo habeamus, illum etiam tunc in scholis fuisse, cum Jacobum Vitriacensem, in Lotharingiæ partibus prædicantem, primum audivit. Asserit præterea se annorum quindecim ætatem eo tempore nondum attigisse, Jacobum autem in episcopum nondum fuisse promotum [1]. Cum vero ille anno MCCXVI in præsulem Acconensem electus sit, ex his quæ supra diximus conjiciendum est Thomam, aut quinquennem aut sexennem, circa annum MCCV in scholas, vel Leodium, vel forte Cameracum devenisse, in quibus inde per annos undecim remanserit.

Jacobum Vitriacensem, virum eloquentia, scientia, insigni erga Deum pietate conspicuum, a prima die tanta veneratione dilexerat Thomas adulescens, ut ipse declaret se vel audito ejus nomine lætatum fuisse [2]. Illum eo abhinc tempore immutabili amicitia et admiratione prosecutus est, licet Jacobum, in Acconensem episcopum electum et postea Romanæ curiæ cardinalem Tusculanumque episcopum factum, susceptorum officiorum cura plerumque a discipulo relegaverit. Hujus prædicatione vel monitis adductus esse videtur Thomas ut religiosæ seipsum vitæ dicaret. Erat tunc temporis in suburbio Cameracensi Cantipratense monasterium [3], in quo canonici regulares, secundum regulam sancti Augustini viventes, Deo serviebant. Illuc se noster annum circa MCCXVI confert, et ab hac prima, quam monachus inhabitavit, domo Cantipratensis dictus est [4].

1. Supplementum ad vitam beatæ Mariæ Oigniacensis, auctore Thoma Cantipratensi, cap. III, § 27, inter *Acta Sanctorum*, tomo junii IV, typis mandatum, p. 676 *b*.

2. *Ibid.*

3. Nostris etiam diebus, licet nulla cœnobii vestigia supersint, Cameracenses unam e portis civitatis suæ Cantipratensem dicere solent.

4. De monasterii nomine frater Thomas in quodam e suis scriptis sic loquitur : « Vocatum est autem nomen loci Cantipratum, quasi cantus in prato, eo quod inibi quondam juventus civitatis ob amœnitatem loci umbrosorum amorum cantibus spatiari solebat ; sed mutatione dextera excelsi confunditur in loco mundi superbia in abolitione peccaminum, ubi prius male læta gaudebat, etc. » Cf. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 253 a. — Gallis nunc *Cantimpré*.

In monasterio Cantipratensi annis quindecim et eo amplius, ut ipse testatur, sine ullo scandalo vel odio vixit[1], in quo vitam Johannis, primi abbatis Cantipratensis, annos viginti tres natus, scribere incepit[2]. Hoc etiam tempore, scilicet antequam ordinem Prædicatorum intraret, ætate adhuc juvenis ad presbyteratum promotus, vices episcopi in confessionibus audiendis indebite et supra vires gerere compulsus est. Inde internis tentationum stimulis vexatus, maximoque timore et horrore correptus, ad beatam Lutgardim, Cisterciensis ordinis in Aquiria sanctimonialem, sicut ad « specialissimam » sibi matrem accedit, sauciæque animæ cruciatus revelat. A qua confortatus, impositum sibi onus viriliter subit, singulare hoc de pœnitentium confessionibus postea professus : « et quanto immundiora fuerint quæ audio, tanto minus ea curo, minusque moveor audiendo[3]. »

Exacto inter canonicos regulares non brevi mortalis ævi spatio, Thomas ad asperiorem vitam vel intimo affectu vel circumstantium hortatu evocatus, Prædicatorum ordinem anno Christi MCCXXXII ingreditur. Inde usque ad extremum vitæ tempus Lovaniensi Dominicanorum monasterio videtur addictus esse, in quo supprior factus est[4], et extremum vitæ tempus peregit[5]. Porro, cum is novo ordini mos esset ut vel doctissimi ad scholas majore scientia instruendi mitterentur, Coloniam Agrippinam primum proficiscitur, ubi se Alberti Magni, tunc in cathedra theologiæ regentis, per multum tempus auditorem fuisse memoriæ tradit[6]. Quod autem beatum Thomam Aquinatem in Colonia socium tunc habuerit, nemo unquam certis fultus documentis demonstravit, cum id re ipsa non potuerit fieri, Aquinate religiosam vitam in ordine Prædicatorum non ante annum MCCXLIII professo, quo quidem tempore Cantipratensis Coloniam Agrippinam jam pluribus abhinc annis reliquerat[7].

1. *Ibid.*
2. *Ibid.*, 252 *b*.
3. Vita sanctæ Lutgardis, a Bollandianis inter *Acta Sanctorum* typis mandata, tomo junii III, p. 251 *b*, lib. II, cap. III, § 38.
4. Cf. prologum in vitam sanctæ Lutgardis ; *Acta Sanctorum*, tom. junii III, p. 234 *a*.
5. Prologus in vitam Johannis abbatis Cantipratensis ; *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 252 *b*.
6. *Bonum universale*, lib. II, cap. LVII, § 50.
7. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 250 *b*.

Interea Thomas Cantipratensis Lutetiam Parisiorum, acquirendæ procul dubio doctrinæ causa mittitur, ubi inclita illa prope civitatem in vico Sancti Jacobi florebat Prædicatorum domus, unde tanta in novum ordinem scientiæ virtutumque gloria redundavit. Hanc profecto anno ab incarnatione Christi MCCXXXVIII incoluit [1], quo celebris de pluralitate beneficiorum disputatio Lutetiæ habuit locum; necdum ea, ut testatur, anno MCCXXXIX vel etiam MCCXL excesserat urbe, qui se ibi tunc commoratum esse refert, cum inter christianos doctores et Judæorum magistros de comburendis horum libris litigatum sit [2]. Hoc etiam et loco et tempore magistrum fama insignem, tunc solennis ecclesiæ præpositum et postea Romanæ curiæ cardinalem, familiarem coluit, quem Petrum de Collemedio fuisse recte arbitrantur. Hunc inter præcipuos negotiorum suorum curatores Ecclesia Romana longo habuit tempore, dum variis muneribus et legationibus fungitur in ecclesia Sancti Audomari præpositum, postea Rotomagensem archiepiscopum cardinalemque Albanensem [3]. Et licet apud Prædicatores suos hospitaretur Thomas, non tamen ab adeundis ceteris religiosorum domibus abstinebat; ait enim se apud Sanctum Victorem prope Lutetiam canonicos regulares [4], apud Sanctum Antonium Cistercienses invisisse [5], et cum quadam maximæ virtutis virgine collocutum esse, quæ olim ab Isabella, Anglorum regina, in famulam assumpta, tunc domo hospitali Pruvinensi præfuerit [6]. Illius, quam aliquanto tempore incoluerat, Galliarum metropolis et almæ litterarum patriæ frater Thomas semper fuit memor, et horum, quæ in ea ipso vivo acciderunt, mentionem pluribus scriptorum suorum locis libenter facit [7].

Inde Lovanium regressus, in cœnobio suo lectoris munere decoratur, nunquam tamen, ut a doctis demonstratum est, magisterii honores adeptus [8]. Nec magis illorum verbis fides addenda, qui asserunt eum, eo quod se vices episcoporum longo tempore gessisse dicat, in numerum episcoporum assumendum esse, vel apud eorum aliquem coadjutoris officio functum [9]. Et

1. *Bonum universale*, lib. I, cap. XIX, § 5.
2. *Ibid.*, lib. I, cap. III, § 6.
3. *Ibid.*, II, X, 34.
4. *Ibid.*, I, XX, 4.
5. *Ibid.*, II, VIII, 2.
6. *Ibid.*, II, XXX, 52.
7. *Bonum universale*, I, XX, 8. — II, VII, 4, p. 152. — II, XIX, 2, etc.
8. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 250 *b*.
9. In hunc errorem plures inciderunt : *Gallia christiana*, t. III, col. 38.

illi quidem ipsis Thomæ verbis decepti sunt, qui tale nihil in animo habuit, cum diceret : « Mihi per plures annos in episcopatu Cameracensi vices gerenti episcopi in confessionibus audiendis [1], » vel : « qui a triginta annis in diversis regionibus vices episcoporum confessiones audiens exsequebar [2]. » Eum immo, optimis judicibus consentientes, opinamur in suo ordine, et Teutoniæ quidem provincia, in prædicatorem generalem promotum esse, et ita factum ut varias Galliarum et Imperii, tam Belgii quam Germaniæ, partes per longos annos, audiendis confessionibus insudans, lustraret. Quo vero studio, qua erga Deum pietate, quanto in peccatores amore isti se labori addixerit, frequente ejus relatione apparet. Eum anno MCCXLVII videmus morienti Gentæ, Cisterciensi Floridæ Vallis in Brabantia abbatissæ, assidentem [3]. Nunc divitem ejusdem regionis mulierem, a dæmone obsessam, liberat [4]; nunc puero subvenit, quem diabolus presbyteri veste indutus vexabat [5]; nunc pauperis piique homuncionis, cui triplex animarum post mortem status revelatus fuerat, susurrationibus credulus aurem præbet [6]. Othoni, monacho in cœnobio Sancti Matthiæ prope Treverim [7], Conrado, fratri Prædicatori Lovaniensi [8], moribundis adest. Mulieres, peccatores quoscumque, et ipsos etiam fæneratores [9], ex hac vita migrantes, ad agendam confessionem adducit piisque exhortationibus consolatur. Nec mirum si humani generis inimicum, quem ubicumque præsentem esse arbitrabatur, sæpius sibi, et eo etiam tempore adesse crediderit, quo, laboris mercedem sumpturus, se sub divo in pomario « ad somnum meridianum » deposuerat [10].

Thomam in Brabantia plerumque commoratum esse diximus, variasque Galliæ provincias diversis temporibus lustravisse. Nec minus illi notæ occidentales Germaniæ partes. Hanc regionem quasi alteram patriam videtur dilexisse, adeo ut aliquando dixerit inter omnes sedes archiepiscopales, post Romanam et

1. *Bonum universale*, II, XXX, 3.
2. II, XXX, 48; cf. II, XI, 1. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, I, 250 *b*.
3. *Bonum universale de apibus*, I, X, 3.
4. II, LVII, 67.
5. II, LV, 2.
6. II, LIII, 34-35.
7. II, I, 2.
8. II, I, 12.
9. II, XXII, 5.
10. II, LVII, 40.

Hierosolymitanam, Coloniensem ecclesiam Treverensemque præcipua sanctitate pollere [1]. De Colonia quidem Agrippina, ubi docente Alberto Magno theologiæ studuit, non semel, de Treverensi vero metropoli frequentissime loquitur, in qua se anno Christi MCCLVI fuisse narrat [2], quamque etiam tunc incolebat, quando sancti Theodulphi reliquiæ eo præsente a civibus Treverensibus repertæ sunt [3]; fratrem porro Walterum, Prædicatorum quondam priorem Treverensem, inter eos quibuscum sermones miscere consueverit bis nominat [4]. Formosarum, quæ inter Augustam Trevirorum Coloniamque protenduntur, vallium amatorem, nunc « per descensum Mosellæ fluminis » devectum [5], nunc in ea nave, quæ illum Coloniam per Rhenum deferebat, inter pulcherrimæ viæ otia cum fratribus suis jucunde colloquentem videmus [6].

Habet sua gaudia vel asperrima quæque condicio. Homines eos qui, ultronea in seipsos duritia magna humanarum voluptatum parte orbati, Prædicatorum Minorumque ordines intrabant, hoc saltem delectabat, quod de loco in locum frequentissime transirent, sinceraque multorum amicitia fruerentur. Cælum mutare etiam pauperi fessoque jucundum est, monachumque, cui vix tolerandum audiendæ confessionis onus quotidie incumbebat, in itinere, in claustro fovebat læta cum pauperibus divitibusque conversatio. Magna fratribus utcumque inde solatia. Hoc inter ceteros expertus est Thomas Cantipratensis, qui tot in utroque sexu habuit amicos, ut eos etiam enumerare non nisi recitata majore eorum quæ conscripsit parte valeamus.

Inter mulieres noster, qui cælibem vitam a primis annis amplexus erat, et versatus est et frequentia fidei amicitiæque invenit documenta. Ut enim de beata Lutgardi taceamus, a qua verbo et exemplo frequenter adjutus est, magnam eorum, quæ narravit, partem ex sanctimonialium relatu eum comperisse patet. Aderant et aliæ generis nobilitate insignes, Alaisa, Brabantiæ ducissa eadem et Hugonis, Burgundiæ ducis, filia [7], et inter ceteras generosa piaque illa Willelmi, Romanorum regis,

1. II, LIII, 6.
2. II, LVII, 2.
3. II, LIII, 2.
4. II, X, 17. — II, XXV, 5.
5. II, XXV, 12, p. 253.
6. II, XLIX, 17.
7. II, XLIII, 6.

mater Mathildis, qua narrante varia de bello inter Flandrenses et Batavos in Zelandia gesto didicit [1].

Viros, quibus Thomas amicitia conjunctus fuerit, memoriæ tradere non hic locus, nisi longam fastidiosamque nominum seriem explicare velimus. Jacobum de Vitriaco præcipuum inter eos quos dilexerit locum obtinuisse nobis jam notum est, et ex eo, quod de Thomæ scriptis dicturi sumus, evidentius apparebit. Generales ordinis Prædicatorum magistros, qui eo tempore summo officio functi sunt, Jordanum videlicet, Johannemque et Humbertum, ei non tantum fama notos fuisse credendum est. Porro ipse nos monet se Albertum Magnum, Henricum Coloniensem [2], magistrumque Johannem de Leodio [3] et fratrem Bernardum, de ordine Prædicatorum, Innocentii Quarti pœnitentiarium [4], multosque alios scientia et sanctitate decoros inter familiares numeravisse. Fratris Walteri de Meseburgo, qui præbenda Treverensi derelicta Prædicatorum ordinem intraverit, memoriam facit, aitque se illi aliquando thalami socium fuisse [5]. De ceteris ad præsens propter narrationis brevitatem silendum est, excepto tamen Philippo de Montmirail, pio milite, quem pariter Stephanus de Borbonio maximis laudibus ornavit [6].

Eum annum, quo vita excesserit, nemo inter eos, quos legimus, probabilibus argumentis determinavit. Inter omnes maxime videtur erravisse qui Thomam anno MCCXCIII defunctum asseruit [7]; anno quidam [8] MCCLXXX mortuum dicunt, nusquam tamen prodentes unde hanc opinionem assumpserint. Nos, si cui inter eos, qui de illo disseruere, oporteat assentire, vero propiorem censeamus Jacobum Quétif, quo quidem auctore inter annos MCCLXX et MCCLXXII ex hac vita migrasse creditur [9]; non tamen huic successit ut de re certum quid in lucem proferret. Nec magis Justi Lipsii sententiæ fides addenda est, qui

1. II, II, 5.
2. II, LIV, 11.
3. I, XX, 2.
4. I, XIX, 8.
5. II, XXIX, 29.
6. I, I, 4. — II, XXXVIII, 2.
7. Lelong, *Bibliothèque historique de la France*, t. I, n. 7807.
8. Tritthemius et Colvenerius.
9. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 250 *b*; idem ex antiquo Lovaniensi necrologio se desumpsisse dicit, Thomam die maii decima quinta obiisse.

Thomam anno MCCLXIII mortuum esse credidit; cur vero hoc scripserit ipse videtur ignoravisse. Vita in finem vergente Thomas se « langore diutino artheticæ et podagræ detentum » conqueritur, jamque sibi mortem imminere declarat [1]. Quocumque autem animo appropinquantem humani ævi terminum exspectaverit hoc scribens, unius profecto rei sibi conscius erat, se non parvo nec inutili labori vitam impendisse, qui non tantum verbo et opere, sed scriptis etiam, colendæ religionis exempla coætaneis posterisque relinqueret.

II

DE VARIIS THOMÆ OPERIBUS.

Libros numero plures Thomas Cantipratensis a juventute in senectutem usque conscripsit, quos quidem singulos ad intima perscrutari ab hoc nimirum, cui intendimus, studio alienum est. Nobis tamen illi ex ordine paucis verbis enumerandi sunt; nam ex illis, quæ antea edidit, plura sunt excerpenda, unde quædam in *Bonum universale de apibus* lux diffundatur, sive Sanctorum virtutes laudaverit, sive rerum naturæ, discendi docendique pariter curiosus, revelaverit secreta.

I. Inter omnia, quæ illi addicenda sunt opera, primo loco nominanda est vita beati Johannis, abbatis Cantipratensis, a quo sæpe dictum cœnobium fundatum est. Hanc Thomas in Cantipratensi domo, « annorum vix viginti trium ætatem habens, » ut ipse dicit, « imperito satis sermone » descripserat, quæ forte nunquam in lucem prodiisset, nisi Anselmus, Cantipratensis abbas, misso ad fratrem Thomam Gerardo, procuratore domus de Bellinghen, ab ipso librum tunc nondum completum sibi tradi postulasset. Cui quidem petitioni senex, licet ægritudine confectus, libenter annuens, « residuum, quod de morte beati Johannis abbatis et fundatoris dignum relatione restabat, vix sub unius diei spatio, accersito scriptore, » se complevisse dicit. Hoc autem post annum Christi MCCLX factum ex eo apparet, quod abbas ille, in cujus locum Anselmus

1. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, p. 153 a.

successit, eodem adhuc anno, ut tradunt, monasterio præfuerit[1].

De illo libro Jacobus Quétif in opere de scriptoribus ordinis Prædicatorum[2] docte disseruit, evulgato etiam codice manu scripto, qui codex, chartaceus et decimo quinto sæculo descriptus, Lutetiæ Parisiorum in bibliotheca Sanctæ Genovefæ asservatur (codex BB. l. 41, 4°, in novissimo indice n° 1291).

II. Necdum e monasterio Cantipratensi Thomas excesserat, quando vitæ beatæ Mariæ Oigniacensis, a Jacobo de Vitriaco scriptæ, supplementum addidit[3], in quo de eodem prælato, tunc Romanæ curiæ cardinali et episcopo Tusculano, pluribus in locis disseruit, singularem, qua erga eum fervebat, amicitiam ostendens. Cum præterea Jacobus ad cardinalatum anno Christi MCCXXVIII promotus fuerit, Thomas vero, relicta domo Cantipratensi, ad fratres Prædicatores circa annum MCCXXXII transierit, credibile est opus brevi hoc quatuor annorum intervallo in lucem prodiisse. Ceterum illis, qui hunc librum cuidam Nicolao adscribendum putavere, minime assentiendum demonstravit Jacobus Quétif[4]. De beata Maria Oigniacensi Thomas in *Bono universali* quædam quoque scripsit[5].

III. Eo porro tempore, quo celebrandis Sanctorum meritis operam dabat, opus longe majoris momenti inchoaverat, quod non nisi multorum annorum labore ad finem deduci potuit. Constat enim eum inter annos MCCXXVIII et MCCXLIV, Jacobo Vitriacensi jam in Tusculanum episcopum promoto, tractatum *De natura rerum secundum diversos philosophos* composuisse, in quo rerum naturalium quantum ea ætate fieri poterat doctum se indagatorem prodidit. Hos libros, quibus conscribendis per quindecim annos se insudavisse ipse dicit, quidam ab eo scriptos, negantibus aliis, jamdudum voluerant, cum novissimo tempore Leopoldus Delisle suo eos auctori tot tantisque argumentis vindicavit, ut de re minime possit dubitari[6].

IV. Nunc ad Sanctos, vel potius ad eas sanctas virgines redeundum est, quarum res pie gestas Thomas Cantipratensis enarravit. Quid vero in primis de beata Christina Mirabili di-

1. *Gallia christiana*, t. III, col. 163.
2. T. I, p. 252 *b*.
3. *Acta Sanctorum*, mensis junii tomus IV, p. 666.
4. *Scriptores ord. Præd.*, t. I, p. 254 *a*.
5. I, IX, 8. — II, LIV, 18.
6. *Histoire littéraire de la France*, t. XXX, p. 365. Operi *De natura rerum*, quod primum ex undeviginti libris constiterat, vicesimum librum postea Thomas insuper addidit, de quo Leopoldus Delisle, *loc. cit.*, p. 383.

camus, de qua tot portenta in unum congesta retulit, ut vix credas sanæ mentis hominem has paginas conscripsisse? Hanc, anno MCLXXXII defunctam, Deo jubente ad vitam eo pacto redeuntem inducit, ut pœnarum particeps fieret, quibus mortuorum animæ in purgatorio exercebantur; hoc eam officio ad annum usque MCCXXIV functam dicunt, quam, Thoma narrante, videmus quodlibet suppliciorum genus ultro expertam. Nunc in furnos candentes, in ignem, in aquam ferventem semetipsam projicit, « clamabatque quasi parturiens, nec tamen egrediens habebat læsuram [1], » nunc aquarum decursu in rotas molendinorum præcipitatur : « nec ulla læsura tamen apparebat in membris [2]. » — « In rotis etiam, in quibus piratæ aliquando cruciari solebant, more tortorum flectebat crura et bracchia sua, et tamen, cum descenderet, non apparebat fractura in membris suis [3]. » Ad scribendam ejus vitam frater Thomas eo videtur adductus esse, quod de illa Jacobus Vitriacensis in prologo vitæ beatæ Mariæ Oigniacensis anteposito locutus fuerit. Absit ceterum ut iis omnibus, quæ de Christina Mirabili tradita sunt, immoremur; id unum tamen, quod de illius in Ludovicum, Losiensem comitem, caritate et misericordia dictum est [4], nobis non tacendum est, quia hæc Thomas de eodem comite in *Bono universali* postmodum narravit [5].

Beatæ Christinæ Mirabilis vitam anno, ut credimus, MCCXLIX conscripsit, in qua de re quadam agitur, hoc anno gesta [6], nominatur vero quidam Thomas, « nunc abbas Sancti Trudonis, » qui Trudonensi cœnobio annos inter MCCXL et MCCXLVIII præfuit; hunc vivum esse procul dubio non diceret auctor, si longo post ejus mortem intervallo ista scripsisset [7].

V. Simili pietate insignis beata Lutgardis, anno Christi MCCXLVI, die junii decima sexta defuncta, cujus vitam, a Thoma Cantipratensi editam, inter Acta Sanctorum [8] Bollan-

1. *Vita beatæ Christinæ Mirabilis*, inter *Acta Sanctorum*, mensis julii tomo V, p. 652 *b*; § 11.
2. § 12.
3. § 13.
4. § 41-45.
5. *Bonum universale*, lib. II, cap. LIII, § 23.
6. *Vita beatæ Christinæ*, § 57.
7. *Vita beatæ Christinæ*, § 47. Attendo ut hanc Christinam a beata Christina de Stommeln discernas, de qua nostro tempore Ernestus Renan disseruit : *Nouvelles études d'histoire religieuse*, 1884, p. 353.
8. Mensis junii tomo III.

diani typis mandaverunt, nec tamen in hoc opere Thomas, ut in vita beatæ Christinæ, licitæ credulitatis metas videtur excessisse, de miraculis a Lutgardi editis plura, non vero ea, quæ risum moverent, memoriæ tradens. Librum inter omnes eos, quos nobis reliquit, *Bono universali de apibus* simillimum, et cum eo sæpius conferendum, parvo post mortem Lutgardis tempore Thomas absolvit, eumque Hawidi, in Aquiria abbatissæ, anno MCCXLVIII mortuæ, dedicavit. Jacobum Vitriacensem et in hoc opere variis locis obvium habes, quo laudato Thomas incidenter vitam beatæ Christinæ a se scriptam testatur [1].

Libros de vita sanctæ Lutgardis, tres numero, post annum, ut fertur, MCCLIV Bernardo, fratri Prædicatori, summi pontificis nuper pœnitentiario, Lutgardis amico, Thomas corrigendos nonnullisque augendos commisit, quæ in quibusdam codicibus ad nos usque pervenerunt [2]. Beatam Lutgardim in *Bono universali de apibus* a Thoma laudatam nemo miretur [3], cum in eodem opere [4] vitam ejus descriptam esse, nomine tamen scriptoris non expresso, testetur.

VI. Vitam beatæ Margaritæ Yprensis incerto tempore conscripsit noster, opus præcedentibus impar, in quo nihil fere ad historiam illius temporis pertinet. E prologo tamen, quem Thomas ad amicum, fratrem Sigerum, monachum Prædicatorem in Insula, scripsit, ea quæ sequuntur nobis sunt assumenda : « Rogante ergo te uno mane, citra otium diei, duabus membranis parvulis memorabilia vitæ illius te narrante suscepi. Sed, heu! quod tantum oportuit me festinare, fratris qui mecum erat compulsus negotio, quem ante festum Omnium Sanctorum oportebat in Daciam [5] transfretare. »

Hanc vitam inter *Sanctos Belgii ordinis Prædicatorum* [6] typis mandavit Hyacinthus Choquet.

VII. *Bonum universale de apibus* hoc loco non nisi expresso tantum nomine designandum. Ad quem librum, majore cura explorandum, antequam transeamus, brevis de aliquibus scrip-

1. Lib. I, § 22, p. 242 a.

2. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 252 *b*. — Commentarius prævius in vitam sanctæ Lutgardis; *Acta Sanctorum*, mensis junii tomus III, p. 231 *b*.

3. II, LVII, 14.

4. II, LII, 4.

5. Id est in regnum Danorum.

6. Duaci, 1618. De opere quædam in *Scriptoribus ordinis Prædicatorum* leguntur, t. I, p. 252 a.

tis, quæ a Thoma Cantipratensi emanasse dicuntur, sermo habendus est.

Et primo quidem Thomæ verbis videtur credendum, decimo quarto *De natura rerum* libro dicentis [1] se tractatum a quodam Judæo, hebraica nimirum lingua, de lapidibus pretiosis compositum in latinam linguam transtulisse. Quod profecto verum esse arbitratus est Dominus Johannes Baptista Pitra, ubi *Spicilegio Solismensi* [2] opus inseruit, cui titulus : « *Cethel, aut veterum Judæorum physiologorum de lapidibus sententiæ;* ait enim se librum eum « ad fidem Cantipratani » ex codice Mazarineo, quem cum Sanvictoriano contulerit, evulgavisse.

Præterea quosdam Aristotelis libros a Thoma Cantipratensi e Græco sermone in latinum versos esse Johannes Tritthemius, post eum alii complures, e quibus Georgius Colvenerius, arbitrati sunt [3]. Auctoribus autem illis, donec certum quid de ea re demonstratum fuerit, minime assentiendum videtur.

Nec magis ad eum spectare credimus quemdam commentarium in librum Boetii *De disciplina scholarium*, quem nostra ætate quidam Thomæ Cantipratensi adscripsit [4]. Beatum enim Thomam Aquinatem inter Sanctos noster minime potuit reponere, quod quidem egit istius operis scriptor, dicens : « Item notandum quod luxuria, secundum sanctum Thomam, est ex immundis desideriis proveniens [5]. »

Quod vero Thomas Cantipratensis nec Aristotelis libros transtulerit, nec Boetii interpres fuerit, non ægre ferendum est ; non enim eorum causa quæ ex aliis desumpsit, sed propter illa quæ vidit, quæque nobis de suis æqualibus narravit, plurimum et suo tempore famæ, et apud posteros gratiæ assecutus est. Nunc ad *Bonum universale de apibus*, quo nihil melius utiliusve scripsit, redeundum.

1. Léopold Delisle, *Histoire littéraire de la France*, t. XXX, p. 368.

2. T. III, p. 335 (1855).

3. Auctorum illorum sententias ad Thomam spectantes Colvenerius in primis editionis suæ, anno 1627 evulgatæ, paginis collegit; quorum opinioni nostris etiam diebus quidam assensum forte præbuere : *Catalogue of additions to the manuscripts in the British Museum*, 1848-1853, n. 17345.

4. Campbell, *Annales de la typographie néerlandaise au XV^e^ siècle*, La Haye, 1874 : Boethius (ou plutôt Thomas de Cantimpré), *De disciplina scolarium*. Hic Boetii tractatus, addito dicto commentario, pluries typis mandatus est, Lovanii videlicet, anno 1487, Daventriæ, annis 1490, 1492 et 1496, Coloniæque Agrippinæ, anno 1498.

5. Vide editionem hujus operis Lovaniensem, fol. 15 v°.

III

BONUM UNIVERSALE DE APIBUS QUO TEMPORE SCRIPTUM SIT.

Libros « de prælatis et subditis » Thomas Cantipratensis non modo sponte sua, immo rogante fratre Humberto, magistro ordinis Prædicatorum, conscribere aggressus est; de quo ipse in epistula prævia, ad Humbertum directa, locutus est : « Et ego quidem indignus ex mandato vestro hujus operis audaciam sumpsi, cum in quodam capitulo generali fratribus demandastis, ut in singulis provinciis digna memoriæ scriberentur, si per fratres, vel occasione fratrum, sive alias nota fratribus contigissent [1]. » Istud autem ordinis Prædicatorum generale capitulum Lutetiæ Parisiorum anno Christi MCCLVI celebratum est [2].

Hoc magistri sui mandato stimulatus Thomas manum operi non segniter injecit; vix enim post capitulum Parisiense anni duo effluxerant, cum exempla librum suum illustratura et tam ex iis quorum testis fuerat quam ex narrationibus aliorum desumpta, in scriptum redigere cœpit. Quod quidem ejus verbis sufficienter demonstratum esse videtur, cum quasdam choreas memoriæ tradens, quas dæmones haud procul a Colonia Agrippina egisse dicebantur, id « anno præsenti M°CC°LVIII° » factum esse asserat [3]. Patet præterea eum non brevi tempore componendo libro incubuisse, ipso Thoma teste : « miraculum referam celeberrimum, quod anno præsenti, ab incarnatione Domini M°CC°LXI° factum est [4]. »

1. Vide editionem a Colvenerio, anno 1627, datam, p. 2. Hæc verba in pluribus codicibus frustra investigavimus.

2. Vide Colvenerii adnotationes ad eamdem editionem, in fine libri additas, p. 2; cf. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 251 a.

3. Lib. II, cap. LVII, § 42.

4. Lib. II, cap. XXIX, § 22. Colvenerius primum ad fidem unius codicis annum MCCLXXI hic inscribendum opinatus fuerat, postmodum vero annum MCCLXI eidem loco aptiorem esse professus est (vide adnotationes, p. 82). Cui profecto in hoc assentiendum est, cum in omnibus fere codicibus annus MCCLXI hoc eodem loco scriptus inveniatur.

Nullo tamen modo credendum est Thomam non ante annum Christi MCCLXXVI operi finem imposuisse. Licet enim in codicibus aliquot [1] manu scriptis et in antiquissimis editionibus [2] legatur eo anno corpus Johannis de Wildeshausen, magistri ordinis Prædicatorum, Argentorati e priore sepulcro in nobiliorem locum translatum esse, tamen hanc translationem anno MCCLXI factam codices plerique asserunt, quod quidem vel eo anno, vel potius paulo antea, locum habuisse constat. Ipse vero Thomas se regnante Ludovico Nono, Francorum rege, « qui felicissime regnat ad præsens [3], » scribere asserit; insuper notum est Humbertum magistrum, cui opus suum dedicavit, anno MCCLXIII officium resignavisse.

Ceterum verum est annum Christi MCCLXV in omnibus iis codicibus, quorum ad nos pervenit notitia, scriptum fuisse, cum auctor de quadam Judæa, occisa et ad vitam revocata, his verbis loquatur : « Annus secundus, M. scilicet CCLXV eo tempore volvebatur, quo ipsa Agnes a Judæo occisa est, et per gloriosam Christi matrem et virginem suscitata [4]. » Locum vero eum, prorsus obscurum, quocumque modo intelligas, cavendum est Conradum de Hochstaden, archiepiscopum Coloniensem, eadem occasione ab auctore inductum esse; is vero anno MCCLXI, die septembris vicesima octava defunctus est. Unde colligendum est, vel Thomam ipsum, dum annum scriberet, erravisse, vel errorem eum in aliquem, unde ceteri emanaverint, codicem irrepsisse.

IV

DE CODICIBUS MANU SCRIPTIS.

Opus, inter annos circiter MCCLVIII et MCCLXI compositum, ipsa codicum manu scriptorum multitudo demonstrat a principio, tam in Gallia quam in pluribus aliis regionibus, mul-

1. Codex Parisiensis latinus 3309, fol. 111 v°, 2; cf. Colvenerii adnotationes ad editionem anno 1627 datam, p. 161.

2. In tribus illis videlicet editionibus, necnon in antiquis translationibus, quæ XV° et XVI° sæculis in lucem prodiere.

3. II, XXIX, 40.

4. II, XXIX, 21 (in fine).

tis notum fuisse. Quos omnes investigare et inter se conferre non longum modo fastidiosumque sit, immo vix credendum est fore ut unquam tanto labori merces digna respondeat. Hoc profecto arbitrabitur quicumque et variis *Boni universalis* editionibus studuerit, et aliquos inspexerit codices. Et nos quidem fatemur in omnibus illis exemplaribus, quæ vidimus, nihil novi nobis occurrisse quod conscribendis rebus illustrandisque moribus prosit. Nam illa inter se plerumque nec mutata rerum narratione, nec adjectis exemplis differunt; verbis tantum, non re ipsa, codex alius ab alio discrepat, exceptis tamen quibusdam locis, ubi non eodem semper modo annorum numeri ab illis, qui Thomæ libros transcripsere, notati sint.

Codices porro, quos penes nos habuimus, quibusque inspiciendis dedimus operam, hi sunt :

Codex Parisiensis [1] latinus, numero 3309 notatus, membranaceus, XIV° sæculo scriptus, cujus in folio 123 v° hæc verba, sæculo XV° conscripta, leguntur : « Iste liber est domus Fontis Nostræ Dominæ, Cartusiensis ordinis. »

Codex Parisiensis latinus 3310, chartaceus, XV° sæculo scriptus, « ex bibliotheca Sanctæ Crucis Parisiensis » (fol. 1 r°).

Codex Parisiensis latinus 3585, membranaceus, XIV° sæculo scriptus.

Codex Parisiensis latinus 3586, chartaceus, XV° sæculo scriptus; « hic liber inscriptus est bibliothecæ Petri Ménard » (fol. 1).

Codex Parisiensis latinus 13436, chartaceus, XV° sæculo scriptus, ex libris Corbeiensis monasterii, postea vero Sancti Germani a Pratis.

Codex Parisiensis latinus 14535, chartaceus. « Liber iste compilatus anno Domini M°CCC° septuagesimo, in vigilia Nativitatis beatæ Mariæque (*sic*) finitus » (fol. 111 v°).

Codex Parisiensis latinus 14628, membranaceus. « Iste liber est Sancti Victoris Parisiensis, etc. » (fol. 1 r°). In fine codicis eadem verba, quæ in codice 14535 (folio 111 v°), leguntur.

Codex Lutetiæ Parisiorum in bibliotheca Mazarinea numero 860 notatus, membranaceus, XIII° sæculo scriptus, in cujus fine, folio illi, quo liber involutus est, quidam hæc inscripsit : « Iste liber est P. Bequillardi. — Pro Navarra. »

Codex Lutetiæ Parisiorum in bibliotheca Arsenalis numero 535 notatus, membranaceus, post annum Christi MCCCL scriptus, nam in margine folii vicesimi noni, a tergo, hæc leguntur :

1. Id est in bibliotheca, quæ Nationalis dicitur, asservatus.

« Anno Domini M°CCC°XLVIII° incepit ista mortalitas, et duravit per tres annos; et incipe annum a primo mense anni, scilicet januario. » Volumini scriptor, folio scilicet septimo sequentibusque, ea inseruit, quæ Thomas Cantipratensis de apibus, in nono tractatus sui de natura rerum libro, dixit : « Apes, sicut Aristotiles, » etc.

Codex Lutetiæ Parisiorum in bibliotheca Universitatis numero 1232 notatus, chartaceus, XV° sæculo scriptus, « ex bibliotheca Choletææ domus » (fol. 2 r°).

Codex in bibliotheca civitatis Claromontensis in Arvernia numero 103 notatus, vergente in finem XIII° sæculo scriptus, in cujus primo folio, eodem, ut videtur, tempore scriptum est : « Ex communi bibliotheca fratrum Prædicatorum Claromontensium. » Folio præterea 116 r° quidam, decimo quinto sæculo, hæc inscripsit : « Iste liber est conventus Claromontensis, ordinis fratrum Prædicatorum. » Isti codici, duobus locis lacerato, folia 55-66, 94-105, pariter membranacea, nec tamen eadem manu conscripta, inserta sunt. Hunc nobis bibliotheca Claromontensis, vices suas interponente Publicæ Instructionis Ministro, liberaliter misit.

Codex in bibliotheca civitatis Boloniensis numero 99 notatus, membranaceus, XIV° sæculo scriptus, et in abbatia Sancti Bertini olim asservatus, in cujus initio ea leguntur, quæ Thomas de apibus in libro de natura rerum scripserat : « Incipit capitulum de apibus, libri noni voluminis quod intitulatur de natura rerum : Apes, sicut Aristotiles, etc. » Hunc pariter bibliotheca Boloniensis, vices suas interponente Publicæ Instructionis Ministro, benigne nobis transmisit.

Ceterum plura operis exemplaria in Galliæ bibliothecis asservari novimus, multosque codices apud exteras etiam gentes variis locis latere minime dubium est, nec nos fallit non nisi longa investigatione fieri posse ut omnes in lucem prodeant. Non tamen, ut opinamur, operæ pretium est tanto labori insudare, nisi quis *Bonum universale de apibus* typis denuo mandare velit [1].

1. Codices, in variis Gallicarum bibliothecarum indicibus designatos, plures invenimus, quos breviter ad præsens enumerare sufficiet : Codex Trecensis 360, XV° sæculo scriptus. — Codex Sancti Audomari 105, sæc. XV. — Codex Atrebatensis 354, sæc. XV. — Codex Duacensis 338. — Codex Duacensis 435, anno 1489 scriptus. — Codex Divionensis 236, XIV° vel XV° sæculo scriptus. — Codex Gratianopolitanus 380, XV° sæculo scriptus, non integer. — Codex Dolensis (in comitatu Burgundiæ) 87,

Quod autem ad eos codices spectat, qui nobis noti sunt, ipsis rebus, quæ in iis narrantur, parum, ut jam dictum est, inter se differunt, indicum tamen et rubricarum varietate plerumque dissimiles sunt. E duobus enim libris opus constat, quorum altero capita viginti quinque, altero quinquaginta septem, vel, secundum quosdam codices, quinquaginta sex continentur. Capitum vero unicuique auctor sententiam unam, ad vitam apum spectantem, sub nomine textus præposuit, cujus quidem explanatio, admixtis exemplis, in ipso capitulo quærenda sit.

In codice Parisiensi latino 3309 optimo ordine totum opus videtur compositum esse, cum in eo rubrica cuilibet capiti præposita sit, quæ capitis notam una cum numero particularum eo contentarum præbeat; tum suus unicuique particulæ est numerus. Præsunt etiam utrique libro indices duo, quorum altero series textuum, id est sententiarum ad apes spectantium, altero singulorum capitum summarium vel argumentum continetur. Vixque credendum est hunc rerum ordinem ab auctore ipso non dispositum esse, licet ille in plerisque codicibus non integre sit servatus. Præterea in eodem illo codice multa loca invenienda sunt, quæ cum ceteris exemplaribus, mutatis sæpe verbis, non plane concordant, eo tamen pacto ut in ipsa rerum expositione nihil fere vel ademptum vel additum sit. Verba tamen hoc modo ab aliquo scriptore, non ab ipso Thoma, mutata esse opinamur, cum in eodem volumine annorum numeri nonnunquam pessime transcripti sint [1].

Rubricæ multiplices, in eo codice scriptæ, qui Lutetiæ in bibliotheca Arsenalis asservatur, a scriba profecto insertæ sunt, qui, litterarum non imperitus, opus variis locis mirum in modum immutavit. Hunc laborem ad Thomam Cantipratensem nequaquam spectare agnoscet quicumque huic codici oculos injecerit.

anno 1450 scriptus. — Codex Cameracensis 966, XV^e^ sæculo scriptus. Vide quoque codicem Harleianum 3832, in musæo Britannico asservatum, in eadem etiam bibliotheca codices add. 10433 et Egerton 839. Indicos Britannicos, Germanicos, Austriacos, Italicos non eo modo lustravimus, ut de illis loqui liceat.

1. In codice Parisiensi 3309 (libro II, capitulo XXIX, particula 16), res quædam anno MCCLXXI facta legitur, ubi annus MCCLXI scribendus erat; quem errorem et in codice Parisiensi 13436, et in antiqua editione, Lutetiæ Parisiorum data, invenies.

Simili modo annus MCCLXXVI in eodem codice (lib. II, cap. LVII, part. 59) in locum anni MCCLXI, plerisque codicibus inscripti, reperitur; quod pariter in antiquis editionibus animadvertitur.

V

QUIBUS TEMPORIBUS OPUS TRANSLATUM VEL TYPIS MANDATUM SIT.

Magna inter proavos nostros gratia Thomæ Cantipratensis opus non a principio tantum, sed procedentibus etiam temporibus exceptum esse vidimus. Testis hujus rei sapiens ille doctissimusque rex noster Carolus Quintus, qui *Librum apum* e latino sermone in gallicum transferri jussit, codicemque elegantem inter libros regios collocavit, in cujus ultimo folio quædam leguntur, propria regis manu anno MCCCLXXII scripta, quibus hanc translationem ipso jubente factam esse testatus est. Porro quadragesimo circiter post hæc anno, incarnationis videlicet dominicæ quadringentesimo undecimo, is liber in indice bibliothecæ regiæ, quæ tunc in palatio Luparæ asservabatur, notatus invenitur. Hunc codicem, nostro tempore in bibliotheca regia Bruxellensi (n° 9507) repertum, Leopoldus Delisle superstitem esse revelavit [1].

Inde vergente in finem decimo quinto sæculo, eo videlicet tempore quo adhuc in cunabulis ars typographorum jacebat, *Bonum universale de apibus* bis typis mandatum est, et primo quidem, ut videtur, Argentorati [2]; quam editionem mox altera, priori simillima, et secundum quosdam Coloniæ Agrippinensium evulgata, subsecuta est [3]. Annis vero post hæc aliquot

1. Léopold Delisle, *Mélanges de paléographie et de bibliographie. Notes sur différents manuscrits de Belgique et de Hollande*, p. 226-228; *Le bien universel des mouches à miel.*

2. Priorem hanc editionem Argentorati forte datam opinatur Ludovicus Hain (*Repertorium bibliographicum*, vol. I, pars 1, p. 502, n. 3644), cujus quidem exemplaria pulcherrima Lutetiæ Parisiorum in bibliotheca *nationali* asservantur (Réserve, D. 1338). Nescimus autem cur eam Colvenerius Daventriæ datam asseruerit; nullam enim ejus mentionem fecit Campbell, librorum in Batavia XV° sæculo typis mandatorum peritissimus (*Annales de la typographie néerlandaise au XV° siècle*, La Haye, 1874).

3. Bibl. nat., Réserve, D, 1341. De his editionibus disseruere Colvenerius, in præfatione ad lectorem, Jacobus Quétif et Jacobus Échard in libro de *scriptoribus ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 251 *b*. Cf. Brunet, *Manuel du libraire.*

Lutetiæ Parisiorum Thomæ Cantipratensis liber denuo typis mandatus est, scilicet « in vico Sancti Jacobi apud Sanctum Benedictum, ad signum sancti Georgii » ; quod non ante annum MDVI fieri potuisse Leopoldus Delisle nuper demonstravit[1]. Iisdem præterea temporibus liber ille, non jam doctis tantum legendus, in Hollandia bis, anno videlicet MCCCCLXXXVIII, curante Petro van Os in urbe Zwolle[2], annoque MDXV Lugduni Batavorum[3], e latina lingua in batavicum sermonem versus est.

Quamvis autem Thomæ liber pluries jam typis mandatus esset, id tamen semper ad fidem unius tantum codicis factum fuerat, ita ut nunquam varias verborum formas, in diversis exemplaribus inventas, inter se conferret collatasque lectori præberet editor. Operis vero editionem criticam dare primus aggressus est Georgius Colvenerius, theologiæ doctor, ejusdemque scientiæ in academia Duacensi professor, a quo *Bonum universale de apibus* ter, annis videlicet MDXCVII, MDCV et MDCXXVII typis mandatum est. Ne vero de duabus illis editionibus loquamur, quæ primum eo curante prodierunt, tertiam, anno MDCXXVII datam, eam esse arbitramur, quæ ad præsens lectori sufficiat ; quam ut conficeret Colvenerius, tam codicibus variis quam editionibus antiquis quantum sibi licuit usus est, de vita et scriptis Thomæ Cantipratensis docte disserens, variasque veterum auctorum de Thoma sententias, et scriptorum illorum, qui ab eo citantur, nomina in unum cogens ; qui commentarium insuper, vel potius longam adnotationum seriem, in fine libri dedit. Hac nos editione, cum cuilibet in promptu sit, quotiescumque varia operis loca nobis citanda fuerint, utemur, ex ea tam capitulorum quam particularum numeros daturi[4].

Anno demum MDCL Vincentius Willart, Atrebatensis, ordinisque Prædicatorum frater, *Bonum universale* ab integro in gallicam linguam vertit[5]. Eam vero translationem manu scrip-

1. Léopold Delisle, *Journal des savants*, mai 1894, p. 262 ; *Catalogue des incunables de la bibliothèque Mazarine*.

2. Bibl. nat., Réserve, D, 1342.

3. *Ibid.*, 1343.

4. Georgius Colvenerius, *Thomæ Cantipratani, s. theologiæ doctoris, ordinis Prædicatorum, et episcopi suffraganei Cameracensis Bonum universale de apibus*. Duaci, ex typographia Baltazaris Belleri, 1627.

5. *Le bien universel ou les abeilles mystiques, du célèbre docteur Thomas de Cantimpré*, etc., traduit du latin par R. P. frère Vincent Willart, etc. Bruxelles, 1650, in-4°.

tam, ab auctore anonymo flamingicis versibus editam, quam Lovanii fuisse dicunt J. Quétif et J. Échard, nec vidimus, nec etiam quo tempore digesta sit nobis notum est[1].

De *Bono universali* post Colvenerium optime disseruerunt Jacobus Quétif et Jacobus Échard; ea vero, quæ de illo opere postea scripsit Franciscus Daunou, parvi aut nullius momenti sunt[2]. Nostro tempore Paulus Kirsch hos, quibus studemus, libros doctissime investigans, dissertationem germanica lingua conscriptam, magnopere laudandam, in lucem edidit[3].

VI

QUID SIBI FRATER THOMAS, LIBRUM CONSCRIPTURUS, PROPOSUERIT, QUAVE OPUS ARTE PERFECERIT.

Scribendi causam ineunte libro Thomas Cantipratensis eam sibi fuisse refert, ut rogantium familiarium voluntati obsequeretur, præmissaque, ut diximus, ad Humbertum, magistrum Prædicatorum, epistula, quomodo in opere processerit his verbis exponit : « Revolvi autem librum illum de natura rerum, quem ipse multo labore per annos quindecim de diversis auctoribus utilissime compilavi. In quo capitulum de apibus... cum magna consideratione perspexi, cujus serie omnis status hominum, maxime in prælatis et subditis, necnon specialissime modus vivendi claustralium poterat comprehendi. Unde primum librum de prælatis, secundum de subditis, sub diversis et intitulatis capitulis consummavi, quibus etiam capitulis secundum materiam exempla aptata et appropriata conjunxi, quæ nostris temporibus, vel prope tempora nostra contigerunt... Interdum etiam et dicta philosophorum diversis locis inserui. » Addit se a nominandis terris, civitatibus vel oppidis, in quibus res gestæ sint, sæpius abstinuisse, « eo quod personis adhuc viventibus, et hunc favorem gloriæ fugientibus, verecundiam facere » formidaret. Rogat insuper ut liber curante magistro corrigatur, et

1. Cf. *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 252 a.
2. *Histoire littéraire de la France*, t. XIX, p. 183.
3. Paul Kirsch, *Des Thomas von Chantimpré Buch der Wunder und denkwürdigen Vorbilder*; Gleiwitz, 1875.

ad varias ordinis domos rescribendus transmittatur. Eum præterea, propter utilitatem operis, quod omni statui, omni conditioni hominum conveniat, *Bonum universale de apibus* appellat, lectores humiliter supplicans, ut auctori dicta saltem una missa subveniant.

E præcedentibus sequitur inter eos fontes, e quibus hauserit frater Thomas, primo loco librum ejus *De natura rerum* ponendum esse. Non enim modo capitulum a se ipso de apibus scriptum in frusta dividit singulisque novi libri capitibus, mutato quidem priore sententiarum ordine, præponit [1]; immo plura ex aliis tractatus illius partibus excerpit, ut qui, dum moribus hominum studet, nunquam obliviscatur se describendis bestiis vel arboribus diutius curam impendisse [2]. Nec mirum quod libros Aristotelis de animalibus [3], Pliniique majoris de natura rerum [4] in opere de prælatis et subditis sæpe nominaverit, nec profecto huic libro locum illum deesse velimus, ubi sacras virgines ad servandam pudicitiam exhortatus, inexspectatum e Græcia sibi auxilium adscivit : « Aristoteles testis est in libro de animalibus, quod quamdiu sus sollicitante mare rigidas aures tenuerit, non consentit in coitum, ubi vero laxare aures inceperit, ad luxuriam stimulatur [5]. »

Quod ad antiquos auctores spectat, quædam, e Terentio [6] Lucanoque [7] desumpta, transcripsit. Prisciani [8] quoque et Valerii Maximi [9] scriptis usus est; sæpissime vero Senecam eorum quæ demonstrat testem sibi assumit, cujus verba tam ex epistulis quam aliunde deprompta, et Bono universali de apibus inserta, si ab aliquo in unum cogantur, non parvam totius operis partem ex iis constare appareat.

Utriusque testamenti libros et optime novit, et a prima ad ultimam usque paginam ea scientia adhibuit, quæ virum sacris scripturis adprime prodat eruditum. Sed beatum potissimum Augustinum re ipsa sibi ducem et magistrum fuisse professus est,

1. Vide codicem Parisiensem 523 *a*, fol. 124 v° 1, — 127 r° 1.
2. Vide librum I, caput XXV, particulam 3; lib. II, cap. VII, § 3; lib. II, cap. XXIX, § 32; cap. XXX, § 25: cap. LVII, §§ 5, 9, etc.
3. II, XXX, 7, 42, 49: II, XXXIV, 4, etc.
4. II, XXV, 3; II, XXX, 44.
5. II, XXX, 42.
6. II, XXX, 15 : « Homo sum, humani », *etc.*
7. I, XVI, 2 : « Omnia Cæsar erat », e Lucani libro III, versu 108.
8. II, XXXIV, 4.
9. II, XIII, 6 (Valer. Max., lib. V, cap. 1); II, XVIII, 4 (Valer. Max., IV, 1).

regulam ejus, Confessiones, libros de Civitate Dei aliaque opera ubicumque excerptis sententiis allegans [1]. Augustini quoque vita a Possidio scripta, sancti Hieronymi, sancti Gregorii, sancti Ambrosii opera passim legentibus occurrunt; ad hæc accedunt et beati Benedicti regula, et Sulpitii Severi vita sancti Martini [2], et Bedæ Venerabilis historia Britonum [3]. E recentioribus sanctum Bernardum [4], Albertum Magnum [5], Petrum ecclesiæ Parisiensis cantorem [6], aut legit, aut adduxit, quosdam versus semel recitans, ex Alexandreide Gualterii de Castellione desumptos [7].

E scriptoribus etiam, quorum opera et nomina nobis ignota sunt, quædam diversis locis narrat, his vel talibus verbis usus : « ut me legisse recordor [8] », « sed et in scriptis cujusdam fratris ordinis Prædicatorum in Belvaco legisse me memini [9]. » Inter quæ brevem narratiunculam, ex incerto auctore sumptam, de monacho cui diabolus irriserit, non nisi moto risu nobis ipsis legendam arbitramur [10].

Illud autem in Bono universali præcipue laudandum est, quod res eas plerumque narret auctor, quas vel viderit, vel se vidisse credat, vel ab illis audiverit, qui earum testes fuerint. Interdum etiam fabulas, a proposito digrediens, refert, quarum aliquæ longis abhinc annis in hominum memoria versabantur; e quibus unam, inter plures, legentibus commendare libet, qua narratur rex quidam tonsorem, recitato proverbio, scelesti propositi reum deprehendisse, mortemque imminentem evasisse [11]. Ceterum id Thomæ Cantipratensi non peculiare fuit ut, bonorum malorumve morum exempla daturus, ea sibi quasi propria vindicaret, quæ tunc, vera vel ficta, a compluribus dictitabantur.

1. Sententias e variis auctoribus a Thoma excerptas Colvenerius in marginibus paginarum maxima cura designavit.

2. I, XX, 3 : « Severus Sulpitius scribit beatum Martinum dixisse », etc.

3. II, LVII, 16 : « Beda in historia Britonum », etc.

4. I, VII, 5 : Sancti Bernardi apologiam ad Guillelmum Sancti Theoderici abbatem hoc loco in proprium usum vertit ; cf. Migne, *Patrologiæ cursus*, t. 182, col. 913 : « Miles et monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam et chlamydem. »

5. II, X, 23.

6. I, XIX, 8.

7. I, XV, 1 ; cf. Alexandreidis librum IV (Migne, t. 209, 508 *b*).

8. II, XL, 11.

9. II, XXIX, 24 : Hunc locum in Speculo historiali Vincentii Bellovacensis ceterisque illius libris frustra investigavimus.

10. II, LVII, 6.

11. II, XLIII, 2.

Versus operi Thomas interdum inclusit, non eos tamen unde boni poetæ sibi famam acquireret [1], inter quos illud tantum carmen memoriæ commendandum est, quod petentibus quibusdam ordinis sui monachis de Jordano Prædicatorum magistro composuit [2].

Quod si non inter poetas, inter doctos saltem habendus est vir, ut asseritur hebraicæ linguæ peritus [3], latina, quasi propria, usus; germanicam ei familiarem fuisse ex variis librorum de natura rerum locis apparet [4], licet gallicum sermonem illi nativum et domesticum fuisse sequentia probent : « Dixit autem mihi quod descensus notularum in ipso cantu, quos gallice *avallées* dicimus, tantæ melodiæ ac dulcedinis erant, quod nisi Deus aliter ordinasset, fere ejus animam extra corpus sine reditu rapuissent [5]. » — « Gallice proverbium dicitur, et nescio si (*sic*) verba latina sufficiant : « Ubi bona custodia, ibi et bona pax [6]. » — « Gallici vulgari proverbio utuntur, et dicunt : « Bon vin crasse larme à l'œil meine, » quod latine, etsi non æque, sic dicitur : « Bonum vinum pinguem lacrimam ad oculum ducit [7]. » De nobili quadam puella, Brabantina, narrat eam stimulante libidine in eo fuisse ut media nocte surgeret atque ad juvenem, quem diligebat, properaret : « Nec mora, ait noster, ubi surgens oculos aperuit, vidit Christum quasi plagis recentibus crucifixum, leni sermone dicentem sibi lingua patria :

> Moy dois amer, je sui très biaus,
> Bons et douz, nobles et loiaus [8].

Thomam vero hoc sermone plerumque usum esse plura ejus

1. I, XIX, 3; I, XX, 5, etc.

2. II, LVII, 51. Prosam illam Bollandiani inter *Acta Sanctorum*, februarii mensis tomo II, die 13, pagina 736, typis mandavere.

3. Tractatum ex hebraico sermone in latinum ab eo versum esse non omnino certum est; de quo supra.

4. Hoc pluribus fultus exemplis demonstravit Leopoldus Delisle : *Hist. littéraire de la France*, t. XXX, p. 375.

5. I, XI, 3.

6. II, XI, 2, p. 190.

7. II, XL, 9.

8. II, LVII, 25. Versus e codice Parisiensi 3309 transcripsimus, quos pariter Colvenerius, spreta tamen antiqua verborum forma, dedit. In quibusdam vero codicibus, ut in Claromontensi et Parisiensi 3585, non eadem illis species est :

> Moi dois amer, je suis très biaus,
> Li bons, li dous, et li très haus.

De quo vide Colvenerii adnotationes, p. 156-157.

verba, gallicæ magis quam latinæ linguæ convenientia, demonstrant; de quodam enim viro locutus, quem in desperationem incidisse refert, ait eum « desperatum esse [1]; » et gallicum pariter scriptorem his sese prodentem deprehendimus : « Hæc nobis duo fratres ordinis Prædicatorum, Reynerus et Ægidius, *sicut illi qui* in villa fuerunt, post triduum quo hæc gesta sunt, veraciter retulerunt [2]. »

Ea igitur litterarum scientia, hominum regionumque notitia instructus noster, ad scribendum de moribus temporis sui optime paratus erat; cui hoc unum defuit, ut operi suo formam imponeret, quæ nec rationi foret contraria, nec fastidium generaret. Et profecto dolendum est, eum optimo libro apes immiscuisse, quæ nullo modo ad rem pertinebant. Quis enim vel unam ex illis sententiis, quæ singulis capitibus præsunt, ad ea quæ sequuntur spectare contendat? Vel quis in primis libri foliis de prælatorum electionibus agi suspicetur, hæc verba capitulo præposita legens : « Rex apum mellei coloris est, ex electo flore et ex omni copia factus. » De fratre Thoma optime esset meritus, qui suasisset ut, reviso libro, et hæc verba et omnia illis similia prorsus eraderentur. Hoc enim modo factum esset ut nec de bono universali nec de apibus curaret lector, cui hoc unum in animo erat, ut de prælatorum, religiosorum vel clericorum moribus novum quid disceret, scriptor autem, apibus domi remanentibus, ad ea, quæ sibi tractanda forent, expedito gressu properaret.

Quod ad materiam ipsam attinet, res a Thoma Cantipratensi non optimo semper ordine dispositas esse nemo mirabitur. Pauci enim eo tempore fuere qui, scribendo libro dantes operam, a principio ad finem recto tramite processerint, nec sane æquum sit illum propterea vituperare, quod in errores eos inciderit, qui etiam in multorum scriptis tunc deprehenduntur, libro de prælatis plura, quæ ad subditos spectant, inserens, inde in libro de subditis ad prælatos reversus, et de origine ordinis Prædicatorum passim in utraque operis parte locutus. Neque id illi vitio vertendum est, quod interdum a via declinet, ea quæ sibi in mentem veniunt, licet a proposito argumento aliena, narraturus.

Stylum, pro tempore non invenustum, ne laudemus id unum

1. II, XLIX, 11 : « adeo desperatus est. »

2. II, XXIX, 22 : Quod quidem gallice quis dicat : « Come cil qui furent en la ville. »

impedit, quod ad eadem verba scriptor sæpe revertitur, quibus jam pluries usus est; et ei nos, exempli gratia, parum profuisse arbitramur quod, de rebus noctu gestis locutus, eas « intempestæ noctis silentio » evenisse plerumque dicat[1], « Quid mirum[2] ? » vel « Mira res[3] ! » assidue exclamet, lectoremque his vel talibus verbis sæpius alloquatur : « Nota igitur, lector[4]. » « Vide ergo, lector[5], » « Et vide, lector, quid inde sit secutum[6]. » Quæ nisi sermonem frequenter deformarent, illis forte, qui tunc latina lingua optime scripserunt, Thomas haud impar fuisset.

Peculiaris persæpe narranti vis et lepor; nec aliter fieri potuit, cum ea plerumque referat quæ a testibus audiverit, quibusque visis ipse commotus vel territus sit. Placidam, inter cetera, Sanctorum mortem, ultimosque decedentium impiorum angores, quibus consolator et hortator assederat, hoc plerumque modo depingit, ut seipsum moribundis adesse credat lector. Nunc a quodam clerico, morti vicino, instanter petit ut is e duabus, quas possidet, præbendis unam dimittat; ille vero, divitiis etiam tunc orbari nolens : « Orate Dominum ut inspiret, » inquit, moxque ad æternas pœnas impœnitens transit[7]. Nunc ad pium priorem, in cubili jacentem, se una cum medico accessisse narrat, et frustra hortatum esse ut æger pulli carne, licet hoc vetaret regula, vesceretur. Cui cum dictum esset se mortale peccatum admissurum, nisi medici exsequeretur mandata, tunc ille, placido vultu : « Domini, inquit, voluntas mecum « fiat. » Nec mora, hoc dicto extendit pedes et manus in lecto, et elevatis sursum oculis exspiravit[8]. » Fœneratorem quoque suo tempore narrat, lingua « ad longitudinem prope pedis » protracta, fœde obiisse; « et ecce subito duo ingentes tenebrarum canes lectum jacentis circuitibus ambiebant[9]. »

Inest et nonnunquam libro summa lenitas, ut eo loco ubi monachum Cisterciensem depingit, cui Christus sub pueri specie, in nive flentis, occurrerat[10] : « compassus igitur tali puero, equo

1. I, III, 4; I, IX, 8; II, XXX, 40.
2. I, II, 3; I, XI, 1; I, XIV, 2; II, XXV, 9.
3. I, XXIV, 2; II, I, 4; II, I, 11; II, XIII, 4.
4. II, XXX, 46.
5. I, III, 5; I, XIX, 3; II, II, 5.
6. I, XIX, 2.
7. I, XIX, 7.
8. II, I, 2.
9. II, XXII, 5.
10. II, I, 23.

descendit, et complexus flentem, flere cœpit cum eo, et quærere quid haberet. Tacente autem puero, iterum ingeminat, ingemiscit, quærens : « Ubi est mater tua ? Numquid perdidisti matrem ? » Ad interrogationes igitur illius puer fortius ejulans, tandem dixit : « Heu me ! Heu me ! Quare non flerem ? quare non ejularem ? « Ecce vides quod egens, solus, et in frigore sedeo, et non est qui « colligat me, et hospitium mihi præstet. » Mox monachus surgens, et puerum in bracchiis elevans, osculatus est eum dicens : « Cesses « flere, dilectissime, quia ad hospitium portabo te, et faciam « enutriri. » Hoc dicens, cum puero equum ascendere voluit ; sed puer, de bracchio tenentis exsiliens, repente disparuit, quia Christus filius Virginis fuit. In terram igitur cadens monachus, ejulare et flere cœpit acerrime ; et cum diu sic ejulans jacuisset, tandem quæsitus a servo, inventus est, et elevatus in equo, ad hospitium ducitur. A quo cum quæreretur cur fleret, nihil aliud una nocte dicere potuit, quam : « Heu me ! puer bone, puer pul- « cherrime, quare me dereliquisti ? Cur tam cito abiisti ? Cur te « perdidi ? »

Nec minus in eo vivax et acer scribendi modus est laudandus ; quem modo liceat audire, militis illius ærumnas narrantem, qui commisso adulterio, dum ad uxorem lætus redit, in dæmonem mutatus est. « Cujus faciem per fenestram intrantis uxor eminus contemplata, clamat horrifice ; ad cujus clamorem ancillæ domus et famuli concurrentes, mox ad contuitum domini pariter conclamaverunt, quasi a conspectu dæmonis perturbati. Quod ut miles vidit, animadvertit faciem suam a forma propria recessisse, et divino judicio secundum vilitatem peccati confusionis ignominiam induisse. Ergo ubi delituit usque mane, properat versus ecclesiam, ut confessus sacerdoti, formam propriam recipere mereretur. Cui cum vaccæ et pecudes villæ procedentes ad pascua longius obviarent, mox diros dedere mugitus, et quasi subito minaci fulmine retroactæ, quæque quoquo possunt diffugiunt. Idem pastores et obvii quique fecerunt. Sacerdos autem in ostio ecclesiæ ad dicendas horas residens, mox ut illum vidit, signavit se, et intrans ecclesiam, ostium post se clausit. Tunc miles, ante fores ecclesiæ se prosternens : « Mise- « rere, inquit, pater sancte, miserere miserrimo peccatori (*sic*). « Non sum ille, qui videor, sed hoc mihi peccatis meis exigen- « tibus accidit[1]... »

1. II, xxx, 40.

VII

THOMÆ CANTIPRATENSIS INDOLES.

Fidem eam, quæ veracis viri dictis addenda est, patefacta ejus indole attenuari nonnunquam accidit; quod sane de Thoma Cantipratensi quodam modo dicendum. Licet enim in eo loco fuerit positus, unde multa potuerit audire et videre, eaque instructus doctrina, qua pauci inter ejus coætaneos ornarentur, naturali tamen instinctu et ipsis, quibus insignis fuit, virtutibus ad laudem vel obtrectationem æqualium suorum ultra modum persæpe impulsus est. Nam quanto eminentiorem inter pios, castos, propriæque utilitatis parum memores locum habuit, tanto in eos asperior fuit, quos impios, libidinosos rerumque terrestrium cupidos esse credidit. Suadebat et insigne studium erga ordinem, ad quem se transtulerat, ut omnes eos acriter impugnaret, qui Prædicatoribus non faverent; tum quoque ad cælestia, spretis terrestribus, quasi totus conversus, eo usque processit ut multis, quæ a sana ratione prorsus abhorrebant, puerili quadam fiducia crederet.

Pietatem ejus erga Deum totus liber ingentem fuisse demonstrat; nec minore in beatam Virginem Mariam fervore exarsit, quam, post multas paginas de illius mire gestis scriptas, ad alia transiturus, his verbis alloquitur : « Sed quid conor, florentissima Virgo, pia mater et domina, quid conor prosequi virtutes tuas? Si cuncta corporis mei membra et omnes guttæ vitalis sanguinis mei verterentur in linguas, potius tamen mihi laudis tuæ verba deficerent quam exempla[1]. »

Sanctorum præterea reliquiis tantam virtutem inesse arbitrabatur, ut a truncando corpore piæ virginis Lutgardis, quam sibi quasi alteram matrem fuisse dicit, non abstinuerit, multum id sibi profuturum credens, si aliquantulam illius partem penes se asservaret. Narrat enim se, pluribus annis antequam illa moreretur, ab Hawidi, Aquiriæ abbatissa, in cujus domo Lutgardis sanctimonialis erat, petivisse et obtinuisse ut, defuncta pia virgine, manus ejus sibi abscindenda reservaretur. Quod cum Lut-

1. II, xxix, 34.

gardi per loquacitatem sororum suarum innotuisset, illa quadam die Thomam sibi assidentem gravi vultu intuens : « Audivi, « inquit, fili carissime, quia manum mihi post mortem abscin- « dere jam disponis. Tu autem quid de manu mea facere cogites « multum miror. » Et ille, rubore perfusus : « Credo quod in « bonum animæ et corporis mei tua mihi manus obveniet, si « eam consequar, ut intendo. » Tunc illa sereno, ut erat, vultu subridens, et auricularium digitum dextræ manus in subliminari fenestræ, in qua colloquebantur, ponens : « Satis, inquit, « tibi sufficiet, cum istum digitum post mortem meam habere « potueris. » Cui Thomas, confidentius jam invectus : « Nihil, « inquit, mihi ex tuo, mater, corpore sufficere poterit, nisi « manum aut caput habeam, quo tunc relever te orbatus. » Addit, defuncta Lutgardi, duos ejusdem monasterii conversos, cum manum piæ mulieris amputare non auderent, eumdem digitum dextræ manus abscidisse, et dentes de ore illius numero sexdecim extraxisse. Quod ubi fratri Thomæ nuntiatum est, bis in Aquiriæ monasterium veniens, tandem optatum illum digitum sibi tradi, eo tamen obtinuit pacto, ut vitam Lutgardis se scripturum polliceretur.

Quod sibi ne vitio vertatur, eodem loco memoriæ tradit beatam Nataliam Adriani martyris bracchium abscidisse, Jacobumque Vitriacensem beatæ Mariæ Oigniacensis, nondum inter sanctos assumptæ, digitum in morte præcisum annis multis e proprio collo dependentem gessisse, Gregorioque Nono papæ pro maximo munere portandum dedisse. Beatæ etiam Elisabeth pollicem cum indice eodem modo abscissos refert [1]. Datum ab aliis exemplum Thomas non semel secutus, sancti Theodulphi, in civitate Treverensi reperti, manum dextram pariter, annuentibus civibus, amputavit, et fratribus ordinis sui Lovanii degentibus dedit [2].

Nec profecto mirum est Thomam eas reliquias Sanctorum tanta veneratione coluisse, quibus tactis animæ et corpora sanari credebantur. Inter omnes enim eos, qui durante medio ævo scripsere, vix alterum invenias, qui tot miracula suo tempore facta retulerit, nunc fratrem Prædicatorem laudans in ipso mari deambulantem [3], nunc de alio quodam ordinis sui monacho asserens quod fluvium trajecturus proprio pallio,

1. *Vita sanctæ Lutgardis*, cap. III, § 19.
2. II, LIII, 2.
3. II, XXIX, 27.

super aquam explicato, loco scaphæ sit usus [1], nunc de quibusdam, qui beatæ Catharinæ reliquias deferebant, narrans eos, æstu intumescente, a sancta illa virgine in mediis fluctibus protectos esse [2]. Johannis quoque sacerdotis, e Dacia oriundi [3], si singulis immorari liceat, incredibilem e Terra Sancta reditum referamus, quem cælestis eques in patriam reportavisse fertur; nec de sanctimoniali tacendum, in altum evolare et aves circa seipsam congregare solita [4]. Quod autem apud Trajectenses ordinis sui fratres vinum in dolio non aruerit, ingenue asseverat [5], nobilem piamque illam matronam se optime novisse dicens, in cujus cista farina pauperibus et esurientibus eroganda, sæviente fame, non exhauriretur [6].

Inter omnia vero quæ mire gesta fabulatur, id risu maxime dignum videbitur quod in Villariensi cœnobio, anno Christi MCCXXII, sub Willelmo illius loci abbate contigisse dicit. Erat in quodam illius monasterii prædio mulier paupercula, prægnans, quæ bovis cujusdam carne vesci adeo appetebat ut, conversis fratribus bestiam occidi nolentibus, præ concupiscentia jam moritura videretur. Illius itaque misertus Willelmus abbas, cuidam converso, ægræ periculum exponenti : « Melius « est, ait, occidere bovem quam hominem; sed secreto hoc fa- « cias, et comple mulieris desiderium. » Nec mora, vespere in quoddam conclave bos secreto inducitur, occiditur membratimque dividitur, cujus parte, quam concupiverat, comesta mulier extemplo convalescit. Sequente vero die, summo mane, ecce converso eidem ad agros properanti bos noster aratro alligatus occurrit, cujus nec jam carnes, nec pellis, nec sanguis etiam, in loco ubi mactatus fuerat, apparent. « Hujus rei, ait Thomas, tres fratres conversi in domo testes idonei pro veritate fuerunt, sed et ipse carnifex [7], vir fidelis et bonus, necnon et super omnes ipsa mulier, quæ in sola bovis occisi carne comesta convaluit..... Familiam autem curiæ [8] res penitus latuit, quia eam divulgari abbas districte prohibuit [9]. » Virum « bonum et fidelem » ipsum

1. II, XXIX, 26.
2. II, LIII, 10.
3. Eo nomine regio a Danis habitata tunc appellabatur; II, XL, 3.
4. II, XXXIII, 4.
5. II, XXV, 11.
6. II, XXV, 7.
7. Lanius.
8. Id est villæ, seu prædii.
9. II, XXV, 5.

Thomam et nos fuisse profitemur, qui redivivum bovem ad majus legentium gaudium pia ingenuitate prædicaverit.

Nec prodendis modo miraculis, sed et revelandis naturæ secretis gaudet beata Lovaniensis monachi credulitas; a quadam enim virgine, quæ Isabellæ Engolismensi, Anglorum reginæ, servierat, se audivisse ait monstrum, a nautis in mari captum, eidem reginæ allatum esse, quod a femina non nisi paucis distaret, et novam inde sibi laudandi Omnipotentis occasionem assumens : « Etiam hinc magnificandus est Deus, qui digne in creaturis talibus etiam mirabilis prædicatur [1]. » Nec tamen semper adeo stolidus, ut a perquirendis veris rerum causis abstineret; cui cum Alaisa, Brabantiæ ducissa, narraret, sibi olim puellæ a medico quædam de puerorum, quos enixura foret, valetudine prædictum esse : « et hoc forte, conjicit, physicus [2] poterat prævidere, cognita qualitate ac debilitate matricis [3]. »

Homines vita functos in terram sæpe redire et se vivis quasi quotidie obvios dare non solus Thomas Cantipratensis, immo plerique eo tempore pro certo habuerunt. Longe majoris autem momenti sunt ea, quæ de diabolo ejusque ministris, dæmonibus scilicet, in libris suis passim exposuit.

Nulla est enim apud eos, inter quos vixit, prava consuetudo, nulla libido, quæ, si Thomæ credas, a pessimis humani generis inimicis, ubicumque præsentibus, non trahat originem. Quisquis enim, et quocumque modo, peccaverit, extemplo dæmon adest, monachum in ecclesia stertentem e somno excutiens [4], sanctimonialibus in hora matutinarum dormientibus irridens [5]; serpit in mortuorum corpora, quo magis pios terreat [6]; in cælo nubibusque, sæviente procella, deambulat, ut auctor ipse haud procul a Lemovicis tempore suo factum asserit : « Vinearum, ait, custos sub tugurio in campestribus, imminentibus tempestatibus, latitabat, et audivit clamantium voces in aere : « Cave! « Cave! » Et alius respondebat : « Quid cavebo? » Et primus : « Vineam Petri Richardi ne læseris. » Sopita ergo postmodum tempestate, sola vinea Petri Richardi immunis reperta est a læsura. Erat autem Petrus Richardus (sic enim binomius diceba-

1. II, XXX, 53.
2. Medicus.
3. II, XLIII, 6.
4. II, XL, 11.
5. II, XL, 12.
6. II, LVII, 8.

tur) usurarius pessimus et obnoxius multis malis[1]. » Sacerdotis, quem sibi Thomas itineris socium assumpserat, dæmon faciem induit, piumque monachum circa solis ortum, ad fenestram stans, immundo habitu deridet[2].

Acerrimo noster odio eos dæmones prosecutus est, quos tunc incubos nominabant, aitque sibi pluries earum, quæ peccata confitebantur, innotuisse relatu « incubos dæmones oppressisse feminas quasdam, alias venereis confabulationibus ad concubitum illexisse[3]. » A quibus quidem infelices virgines per longos annos sæpe stimulatas et sollicitatas esse refert. Hoc inter ceteras experta quædam sanctimonialis, ab incubo dæmone beatæ Lutgardis orationibus et jejunio liberata[4]. Dicitur illa in vigilia Pentecostes aliquando cuidam Christinæ, sociæ suæ, confessa esse, a suscipiendis sacramentis se propterea deterreri, quod a dæmone nimis vexaretur. Compassa ergo miseræ Christina, se proxima nocte dæmonis impetus in se ipsam ultro conversuram profitetur, ut paucis saltem horis quotidiana tentatione immunis illa, corpus Christi licite suscipiat. « Nec mora, cum se sopori dedisset, audit præter solitum in stramento cubilis sui quasi porcellum commoventem se et inquietius agitantem. » Ab eo igitur per totam noctem, nunc surgens, nunc iterum recumbens, adeo vexatur, ut mane facto ad amicam currat, et : « Renuntio, inquit, pœnæ tuæ; vix sine vitæ discrimine violentiam crudelissimi tentatoris evasi[5]. »

Ceterum varia, ut in animalibus, ita inter dæmones genera; neque hoc sane a Thoma Cantipratensi adinventum esse credas. Incubos enim, Dusios quoque vel Dusiones, longo ante hæc tempore et sanctus Augustinus[6] et Isidorus Hispalensis notos habuere. De Dusionum vero dæmonum operibus noster multa se percepisse nuntiat, refertque « Prussiæ gentiles » illis etiam tunc silvas putavisse consecratas, quorum præcipua libido mulierum raptus : « Sic et nos etiam temporibus modernorum frequenter audivimus, quasi in agone mortis positas mulieres subito rapi, et earum loco a dæmonibus figmenta deponi et ipsa figmenta simillima raptis corporibus quasi mortua sepeliri, visas vero pos-

1. II, LVII, 3.
2. II, LVII, 39. Lepidam lego paginam, quam, ne spurcis rebus indulgere falso arguamur, non duximus transcribendam.
3. II, LVII, 13; cf. § 16.
4. II, LVII, 14.
5. II, LVII, 15.
6. *De civitate Dei*, lib. XV, cap. 23.

tea feminas, et inter homines conversatas[1]. » De fallacibus autem illis corporum imaginibus ipse, ut videtur, Thomas his verbis disserere non dubitat : « Dicitur autem ab his qui figmenta hujus modi diabolica inspexerunt, ea esse interius putrido ligno similia, levique exterius pellicula superducta[2]. » Recentia porro incredibilis rei documenta dubitanti lectori præbet[3], non eo tamen animo ut certum quid vel stabile his rebus subesse demonstret : « ego quidem, dicens, talia fieri, permittente Dei judicio, per operationem dæmonum nec infitior, nec confirmo; sed quia objicientibus talia et verissima assertione firmantibus subterfugere dissimulatione non potui, ista mihi narrata et inculcata conscripsi, et aliis discutienda reliqui... Interrogavi super hoc supradictum magistrum Albertum[4]; sed ille dissimulavit, et noluit aliquid definire[5]. »

Dæmones, omnium vitiorum fautores, eo maxime odisse videtur frater Thomas, quod peccatorem ad incontinentiam stimularent, tabem inter omnes saluti nostri generis infestam. Nec a libidine solis juvenibus cavendum putabat, etiam in senibus igniculum vivere dicens[6], seque, vel in sexagesimo ætatis anno, casum lubricitatis adhuc perhorrescere[7]. Perpetua igitur in ejus opere virginitatis et castitatis prædicatio, nec eos unquam laudare dubitat qui, ut pudicitiam incolumem servent, in meram insaniam incidunt. Quid enim de pulcherrima illa muliere sentiendum est, quæ, ne in vetitam cupidinem ipsius adspectu viri raperentur, a Deo id obtinuisse fertur ut decoram faciem tabe deturparet[8]? Ecquis vero Guidone, Beguinarum in Nivella presbytero, vesanior, quem ideo Thomas sanctum virum appellat, quod libidini finem impositurus, aperto mulieris quam diligebat tumulo, nares et faciem cæno putrefacti corporis admoverit[9].

A voluptatibus abstinere, terrestria, quæcumque sint, bona respuere, reliquum nihil habere, nisi pro lauto vestitu cucullum, pro domo patria monasterium, pro libertate voluntariam

1. II, LVII, 17.
2. Hæc in codice Parisiensi latino 3309, fol. 106 v° 1.
3. II, LVII, 19-21.
4. Albertum Magnum.
5. II, LVII, 22.
6. II, XXX, 46, pag. 352.
7. *Ibid.*, p. 353.
8. II, XXX, 29.
9. II, XXX, 31.

servitutem, id pauperi Prædicatori inter omnia videtur laudandum. Et gravis quidem asperæ virtuti est auctoritas, cum inter alia christianæ patientiæ documenta pium militem, a Sarracenis captum, depingit, conservis suis id exprobrantem, quod recuperandæ libertatis cupidine occuparentur; qui, dum socii terrestrem desiderarent patriam, ad cælestem, felix, toto ferebatur animo, et « tantum post quotidianos labores de nocte orationibus incumbebat, quod ei ad modum camelorum calli (*sic*) in genibus accrevissent [1]. »

Quid ergo Christi discipulis optandum est, nisi ut relictis hujus vitæ illecebris in monasterium, Dei domum, sese recipiant? Hoc inter ceteros experta Yolenda, filia comitis Viennensis [2], quæ relicta matre conventum sibi pro parentibus elegit [3]; hoc juvenis ille, genere nobilis, e Teutonia oriundus, qui Lutetiam missus, ordini Prædicatorum inconsultis suis adhæsit, utrum fleret avunculus, an vapularet pater, aut mater præ tristitia moreretur, parum curans. « Cujus pater senex assumpta copiosa familia venit Parisios, et cum filium violenter extrahere conaretur, a novitiis fratribus membratim fere laceratus, ad patriam infecto negotio est reversus [4]. » Christianam profecto fidem quicumque ea cordis duritia coluere, non tam inter pios quam inter fanaticos habendi sunt, e quibus unus Thomas Cantipratensis nonnunquam fuit, extra naturales affectus eo usque evectus, ut beatam Mariam Oigniacensem, eo quod illa propriam matrem æternis pœnis dicatam non luxerit, minime censeat improbandam [5].

Ceterum ut colendæ religioni impugnandisque dæmonibus deditus Thomas, ita et facetus, garrulus etiam et in risum pronus; ea namque fratribus mendicantibus vita fuit, ut asperam sortem multorum conversatione, quæ lætitiæ raro contraria est, solarentur. Vix ille a risu abstinet, cum puellulam eam, quæ impudicum presbyterum verberaverat, gravissimæ propterea culpæ sibi consciam videt. Quam cum indignus ille Dei servus opprimere vellet, illa naso osculantis pugnum tanto vigore impinxerat, ut erumperet sanguis. Rata igitur, hoc enim suadebant

1. II, VI, 3.
2. Comitis de Vianen.
3. II, XXIX, 39.
4. II, XXVIII, 11.
5. Vide beatæ Mariæ Oigniacensis vitam inter *Acta Sanctorum*, mensis junii tomo IV publicatam, § 12, p. 670 *b*-671 *a*. Cf. *Bonum universale*, II, LIV, 17.

clerici, agendæ pœnitentiæ causa Romam sibi eundum esse, fratrem Thomam effusis lacrimis quid sibi sit agendum interrogat; sed ille : « Sub præstito juramento tibi præcipio ut si ille « vel alius presbyter violentiam tibi in osculis vel contrecta- « tionibus facere voluerit, contracto pugno valide oculum, si « potes, excutias contrectanti. » Quod ubi dixit noster, omnes eos qui aderant, et ipsam puellam, in risum maximum et lætitiam concitavit [1].

Sed ecce jam, deposito risu, commovetur, quotiescumque ordini Prædicatorum quis male dixerit, Philippum, cancellarium Parisiensem, inter ceteros acriter increpans : « Hic contra fratres ordinis Prædicatorum in omni fere publica statione et sermone Parisiis latrabat. » Summis etiam pontificibus, si quando fratribus Prædicatoribus non in omnibus faverint, minime parcet [2]. Universitati porro Parisiensi, ut monachum ordinis illius decebat, infensus, magistrum Simonem Tornacensem, qui Lutetiæ Parisiorum eo tempore in theologia optime rexit, in morbum insanabilem eo incidisse dicit, quod in schola de Christo male fuerit locutus, adeo ut asseveret viro doctissimo, sed Boetii jam immemori, unius Aleydis, fornicariæ concubinæ, nomen occurrisse [3].

VIII

DE ORDINE PRÆDICATORUM.

Scriptorem innato instinctu in asperitatem pronum id præcipue ad insimulandos æquales suos impulit, quod ordinem Prædicatorum in primis coleret, castigandis monasticis moribus deditum. Quidquid enim tunc in monachis, clericis, laicis, laudare consueverunt Dominicani, id ipse prædicat, quidquid reprehendunt, vituperat; cumque illi impositum sibi officium non nisi accensa multorum ira exsecuti sint, eos omnes Thomas Cantipratensis indistincte aggreditur et convitiis lacessit, qui Prædicatores impugnaverint, aut vitam novæ disciplinæ parum congruentem tenuerint.

1. II, XXX, 51.
2. Vide infra : *De quibusdam summis pontificibus.*
3. II, XLVIII, 5.

Ceterum non solis Dominicanis, licet speciali eos studio prosecutus, propugnavit, nec enim soli tunc reprimendæ mollitiæ refrenandæque luxuriæ dabant operam. Prædicatoribus nempe fratribus, inter alios, in illo certamine et Minoritæ et Cistercienses adstiterunt, quibus eadem austeritas, et similis plerumque fortuna fuit. Nam si res decimo tertio sæculo gestas propius inspexerimus, procul dubio patebit tres illos monachorum ordines in magno parique honore tunc apud eos fuisse, qui peculiari erga Christianam fidem ardore fervebant. Quod utique in sancto Ludovico apparet; is enim, licet, a Benedictinis persæpe laudatus, magna illis sollicitudinis suæ vel munificentiæ dederit documenta, fratribus tamen mendicantibus Cisterciensibusque præcipue favit.

Maximis itaque laudibus a fratre Thoma et Franciscani et Cistercienses ornati sunt. Quod vero proprii ordinis famam utilitatemque super omnia coleret, id et fieri debuit, et re ipsa factum est. Quid mirum, si pietatis erga Deum, abstinentiæ, austeritatis exempla daturus, ea ex illis potissimum quæsiverit, quorum sibi consortium elegisset? Quo fit ut de ordine Prædicatorum complura, nec sane inutilia, nos doceat.

Paupertatem in primis laudat, e qua uterque, Prædicatorum scilicet atque Minorum, originem traxerat ordo, id iis in superbiam vertens quod panem sibi quotidie Franciscanus quærat, Dominicanus, omnium inops, vestem in itinere laneam deferat, multis sudoribus infectam [1]. « Taceo de fratribus Prædicatoribus, qui studiis continuis et vigiliis macerati, non habentes in zona æs, sed membranas, non in equis aut curribus, sed fessis artubus et pedibus gradientes, prædicationibus terras circumeunt. Sed de fratribus Minoribus quidnam dicam, qui duro cincti funiculo, et sine amictu cappæ vel pallii, induti tunica super nudo, pedibus nudis super nivem gelidam, quasi super lanam, deambulant [2]? » Nec ullo modo Prædicatoribus ideo invidendum censet, quod a labore manuum abstineant; multo enim asperior, si Thomæ credas, labor is est quem in audiendis confessionibus exsequuntur, dum spurcitias peccaminum coguntur tolerare, « et sic in mediis incendiis positi, præ angustia quid faciant, quo se vertant, ignorant [3]. » Hoc idem de fratribus mendicantibus opinatam esse narrat Aleydim, Cister-

1. II, x, 10.
2. II, III, 11.
3. II, x, 7.

ciensem Vallis Ducis in Brabantia abbatissam; hæc a quibusdam in capitulo nimiæ in fratres Prædicatores et Minores liberalitatis accusata : « Fratribus, respondit, pedes (*sic*) egre- « dientibus et in cæno lubricatis (*sic*) concedo vestes mundas et « tunicas, ut nocte possint quiescere; monachi autem nostri « equites vadunt, et in manticis suis tunicas et vestes portant, « quas cum voluerint poterunt immutare [1]. »

Nec una fuit illa inter Cistercienses, a qua beati Dominici discipulis auxilium provenerit. Conradum [2], Sedis Apostolicæ in Germania legatum, Cisterciensem olim abbatem, refert frater Thomas cuidam Coloniensi sacerdoti, de Dominicanis conquerenti, acriter respondisse. Venerat ad legatum ille, dicens : « Ecce fratres ordinis Prædicatorum, qui in damnum nostrum « Coloniam intraverunt, falcem mittunt in messem alienam; « subditorum nostrorum confessiones audiunt, et per hoc in fa- » vorem homines sibi attrahunt. » Cui Conradus : « Quis est « numerus hominum in parochia tibi subditorum? » Et ille : « Novem millia, » inquit. Tunc consignans se cruce legatus : « Quis es tu, miserrime, qui tot millibus solus sufficis debitam « gubernationis curam impendere?... Et tu, si tales habes vi- « carios, querularis, qui onus tuum gratis relevent, sub cujus « pondere nescius conquassaris [3]! » Idem ille Conradus fratribus Prædicatoribus, cum nuper Lutetiam advenissent, dixerat : « Licet alterius professionis sim habitu, frater tamen vester « ero quamdiu subsistam in vita, nec ulla unquam a vobis ad- « versitate divellar [4]. »

Dicitur ipsa beata Virgo Maria nascentem Prædicatorum ordinem fovisse [5], unum inter omnes a Domino speciali quodam modo custoditum [6]. Nec tamen ideo Thomas a piis ad socios et commilitones suos exhortationibus abstinet, monachum Dominicanum vel Franciscanum a periculosa consuetudine deterrens, qua plerumque cœnobitæ relicto socio in itinere soli remanere consueverunt [7]. In eos quoque acriter invehitur, qui spreta ordinis regula se episcoporum vel legatorum consortiis adjungunt, « ut per prædicationem crucis, aut alio aliquo officio mediante,

1. II, x, 8.
2. Conradum de Urach, cardinalem, episcopum Portuensem.
3. I, IX, 6.
4. I, IX, 4.
5. II, x, 16-17.
6. II, XXX, 48.
7. II, LVII, 35.

a prælatorum suorum obedientia penitus eximantur [1]. » Ceterum a nimia illa severitate prorsus abhorret, qua nonnulli eos, qui in extrema vita pœnitentes fuerint vel relicto ordine ad eum postea redierint, ab ejusdem ordinis ingressu putant arcendos [2].

Quod autem eo tempore non omnibus optima illa, quæ Thomæ Cantipratensi, fuerit de ordine Prædicatorum opinio, minime negandum est [3]. Plures enim tunc, inter sæculares præcipue clericos, erant, qui Guillelmo de Sancto Amore assentientes, asperum illud de Dominicanis judicium libenter tulissent: « Notandum est quod Pharisæi erant quidam religiosi apud Judæos, sicut sunt apud nos regulares, quorum quidam in habitu, in austeritate vitæ, in observantiis spiritualibus et traditionibus suis prætendebant sanctitatis speciem quam non habebant in corde; et isti erant hypocritæ [4]. »

Pari invidia multi profecto in fratres mendicantes accendebantur, sacerdoti illi similes qui Jordanum, ordinis Prædicatorum magistrum, a Roma redeuntem, in domum suam excipere noluit [5]. Et simile quid in propria patria sibi sociisque suis accidisse refert frater Thomas : « Veni pedes in villam ignotam mihi, longo itinere fatigatus in tantum, ut præ debilitate nimia corde me deficere mox putarem. Ingressi fratres domum presbyteri, nec saltem frustum panis nigerrimi, quo familia vescebatur, potuerunt obtinere. Inde digressi late per villam, nihil prorsus, nisi in fine villæ a quadam paupercula fragmen panis furfurei habuerunt, donum satis magnum, immo mihi maximum donativum. Resedimus ergo sub divo; panem comedimus. Et licet palearum aristæ, quæ erant in pane, palatum comedentium stimularent, nunquam tamen in vita mea sum tam suavi deliciarum edulio delectatus [6]. »

Ordini Prædicatorum adversari inter omnia nefas, nec illis ignoscendum arbitratur Thomas Cantipratensis, qui tantum scelus admiserint. E quorum numero fuit canonicus ille qui, fratribus Prædicatoribus et Minoribus infensus, « sine confessione et divini nominis reclamatione et sacramentis, vita pri-

1. II, III, 7.
2. II, LI, 8-9.
3. Quanto Prædicatores odio, inter ceteros, Mathæus Parisiensis habuerit, omnes novere.
4. Guillelmus de Sancto Amore, in *Concione de Pharisæo et Publicano : Histoire littéraire de la France*, t. XIX, p. 210.
5. II, LVII, 45.
6. II, X, 9.

vatus est, et extra cœmeterium asinina tumulatione sepultus[1]. » Parisiensis Universitatis magistros, qui coram summo pontifice, causam agente Guillelmo de Sancto Amore, contra Dominicanos acriter dimicavere, summa acerbitate impetit[2]. Ne vero eum per longos litis illius ambitus sequamur, id unum referemus, quod de sæcularium magistrorum in Prædicatores, ne hi Lutetiæ in scholis regerent, affirmavit invidia : « Summa autem in supradictis magistris et aliis sæcularibus clericis invidiæ causa fuit, quod fratres Parisiis plures et prope omnes litteratiores in scholis auditores habebant, et in regimine præeminebant. Videbant enim scholares quod magistri sæculares, sicut viri divitiarum, dormierunt somnum suum, ducebantque in bonis dies suos ; et cum vespere multiplicitate ferculorum obruerentur et potuum, et postea vigilare non possent nec studere, et per hoc nihil invenire in manibus quod proferrent, sequenti mane sollemnem diem constituebant auditoribus in condensis, et sic per ineptas vacationes, quibus sua clerici inaniter expendere se dolebant, optato privabantur studio[3]. » Quod quidem asseverare facile fuit ; dolendum est tamen crimini nullum exemplum, ab accusatore datum, subesse.

De prima fratrum Prædicatorum institutione Thomas pauca, de beato Dominico nihil in libro prodidit ; notandum tamen id quod de ipso ordinis nomine narrat. Ait enim papam primo decrevisse ut novi fratres ex imposito ipsis officio Prædicantes dicerentur, notarium vero, cui commissum esset ut epistulam de ordine confirmando conscriberet, illos Prædicatores appellavisse. Interrogante postea summo pontifice cur notarius præcepto non paruisset : « Prædicantes, respondit ille, nomen est « adjectivum, licet a participio substantivari posse concedatur, « et est commune nomen in actu. Prædicatores vero nomen « est proprie substantivum, et est nomen verbale simul et « personale, in quo nomen officii manifestissime declaratur[4]. »

Ex illis vero, qui ordinem sæculo decimo tertio illustraverunt, primus nominandus est Jordanus Teutonicus, Prædicatorum post beatum Dominicum magister, quem Romæ ab Honorio Tertio cardinalibusque summa gratia exceptum videmus, eodemque tempore, dum ordinis sui domum in Urbe invisit, ab amente

1. II, x, 35.
2. II, x, 21-35.
3. II, x, 31.
4. I, IX, 5.

quodam novitio graviter vulneratum. Cui, ad Gallias relicta Romana curia redeunti, diabolus insidias fertur paravisse. Hunc inter omnes tanto coluit honore Thomas, ut prosam de rebus ab eo gestis et de illius morte libro inseruerit [1]. De Raimundo de Pennaforti, tertio ordinis magistro, nihil dixit, nisi quod vir valde litteratus fuerit, et in utroque jure rexerit [2]. Sed Johannem de Wildeshausen, antea Bosnensem episcopum, Raimundi successorem, a juventute notum habuit [3] multisque locis laudavit, Gregorii Noni amicitia insignem et nihilominus Frederico Secundo, ut videtur, familiarem [4]. De illo insigne testimonium Thomas perhibuit, quod tunc Bosnensis episcopus, « cum haberet in episcopatu plus quam octo millia marcharum in redditibus, in usus tamen proprios quasi nihil inde expendebat, sed omnia pauperibus erogabat, nec solum quidem equum habuit, sed asellum, qui libros et episcopales infulas deportabat. Ipse vero pedes cum fratribus incedebat [5]. » Nec injuria venerandus habebatur is, qui postea in generalem totius ordinis magistrum assumptus, remotas Romaniæ partes una cum sociis lustrabat. Hunc narrante fratre Thoma audimus in illo itinere a pauperrimo sacerdote exceptum; cumque domum fessus intrasset, scamnoque insidens secum cogitaret, nihil sibi præsto esse unde et hospitem remuneraret et sociis victum quæreret, cornix subito advolans insolitæ magnitudinis nummum ante pedes meditantis deposuit [6].

Johannem illum Argentinæ diem extremum egisse, ibique sepultum esse verum est; sed aliquantulum erravit frater Thomas, cum dixerit ejus corpus anno Christi MCCLXI e priore sepulchro in decentiorem locum translatum esse. Ait enim Argentinensem electum his interfuisse [7]; nobis vero ex instrumentis constat Walterum de Geroldseck, in episcopum Argentinensem electum, anno MCCLX, ante diem julii decimam tertiam consecratum esse, nec jam ex eo electi nomine potuisse dici [8]. Johannis itaque corpus non eo, quo Thomas velit tempore, sed anno præcedente translatum esse arbitramur.

1. II, LVII, 43-53; de eodem Jordano vide librum II, cap. XIX, § 2, vitamque sanctæ Lutgardis, lib. III, cap. I, §§ 2-3, p. 256.
2. II, LVII, 54.
3. II, LVII, 58.
4. I, XX, 10, p. 82; II, XXX, 43.
5. II, LVII, 55.
6. II, LVII, 57.
7. II, LVII, 58.
8. Wiegand, *Urkundenbuch der Stadt Strassburg*, t. I, p. 345, n. 458.

Fratri Johanni de Wildeshausen in summo ordinis munere successit Humbertus ille, cui liber de Apibus ab auctore dedicatus est, non minoribus, ut aiunt, virtutibus insignis. Vix tamen Thomæ credere audeamus, referenti quosdam e cardinalibus, eo tempore quo Innocentius Quartus ad summum pontificatum promotus sit, Humbertum, tunc in Tusciæ partibus priorem provincialem, in papam eligendum censuisse [1].

In ordine Prædicatorum, eo tempore, tot viri meritis famaque præclari floruere, ut eos omnes, qui a Thoma Cantipratensi laudati sunt, ne nominare quidem nobis liceat. De adulescentia beati Thomæ Aquinatis quædam lectu digna scripsit [2]; de altero quoque Dominico, beati Dominici socio, hoc, aliunde jam notum, narravit, quod a quadam meretrice ad vetita gaudia provocatus, in carbones ardentes, humi stratos, se projecerit, dicens : « Ecce lectus tali opere dignus : hic cuba mecum; alium « non habebis [3]. » Mortuos numero septem a fratre Johanne Vicentino ad vitam revocatos esse retulit [4]; nec solus fuit Thomas qui res miras a viro gestas crederet, cum Johanni, Bononiam venienti, magnates plebemque occurrisse dicat, « qui nescientes aliquid majoris honoris impendere, pannum sericum in quatuor hastis supra sanctum virum in magno laudis jubilo deportabant. » Cum autem Gregorio Nono nuntiatum esset fratrem Johannem se pro apostolico [5] gerere, « qui equo albo incederet, et super se pannum sericum faceret deportari, » jam in eo fuisse papam asserit noster, ut excommunicationem in monachum sceleris reum proferret; mox vero suadente Mutinensi episcopo erga Johannem adeo mitigatus est, ut a lacrimis etiam non temperaret [6].

De Alberto Magno, magistro suo, scriptore illustri eodem et ordinis Prædicatorum propugnatore, Thomas sæpe, et qua par erat amicitia, disseruit [7]; ab Henrico Teutonico, de Colonia dicto, se ea, quæ narrat, comperisse sæpius dicit [8], quem ter in

1. II, LVII, 60.
2. I, XX, 10.
3. II, XXX, 45. De hoc vide Stephani de Salanhaco librum (Bibl. nat., cod. lat. 5486, p. 66). Hoc, quod eo loco de fratre Dominico narravit Thomas, varii auctores vel ab eodem vel ab alio factum referunt (vide Colvenerii adnotationes, p. 97).
4. II, I, 3.
5. Id est, pro papa.
6. II, I, 3-5.
7. I, XX, 10; II, X, 23-26; II, LI, 11; II, LVII, 18, 22, 34, 50.
8. I, XIX, 3; II, LVII, 29, etc.

Terram Sanctam profectum esse refert [1]. Hic adversus Philippum de Gravia, Universitatis Parisiensis partes agentem, Thoma teste, disputavit [2], et a Ludovico Nono rege id fieri postulavit ut libri Judæorum Lutetiam comburendi afferrentur [3]. Et profecto doctissimis ordinis sui magistris in multis consentiebat noster; idem enim apud plerosque sentiendi modus : Satanam ubicumque humano generi insidias parantem et Thomas, et Albertus, et Henricus Coloniensis denuntiavere, eo potissimum modo illa ipsa, quæ oculis nostris rerum natura subjicit, frequenter interpretati. Quod ut exemplo comprobemus, Henrico Coloniensi, tunc in Terra Sancta priori provinciali, id frater Thomas accidisse dicit, quod in litore Acconensi cum fratribus sedens, surgente nebula montem muris hirsutum e mari surgentem viderit, ad quem equites peditesque per pontem in aere apparentem transirent : « Cumque fratres aliquamdiu tali spectaculo nimirum attoniti tenerentur, dixit fratribus dictus provincialis frater Henricus : « Surgamus, fratres ; eamus ad ora-« tionem; illudit enim diabolus oculis nostris, ut curiositate « nos teneat, et a Dei opere torpeamus. » Secedentibus fratribus, aliqui, curiositate ducti, usque in finem eventus immobiles permanserunt videruntque, instante nocte, ut prius, maris undis nebulam superspargi, et post modicum nebula disparente, nullam structuræ illius subsistentiam comparere [4]. »

IX

DE CETERIS MONACHORUM ORDINIBUS.

Cisterciensem ordinem Thomas in omnibus fere libri partibus laudavit, beatum immo dixit, memoriæ tradens quod in eo nullus extra refectorium, infirmariam vel mensam abbatis consueverit comedere [5]. Inter eum quoque et canonicos regulares peculiarem amicitiam fuisse diximus, quorum etiam, postquam ad

1. II, XLIII, 4.
2. II, X, 36.
3. I, III, 6.
4. II, LVII, 29.
5. II, XII, 3.

alium ordinem transivisset, frater haberi voluit. Nec minore studio Beguinas coluit [1], in quas et Philippus de Montmirail ejus amicus, et beatus Ludovicus beneficia multa contulerunt [2]. Eo porro suadente quemdam e Brabantia nobilem, Guillelmum de Aska, ad ordinem Sanctæ Mariæ Teutonicorum se transtulisse legimus, cujus etiam exemplum quidam alius cum filio suo postea secutus sit [3]. Cum fratribus enim illis videtur libenter conversatus esse [4], eosque magni fecisse, ut ipse testatus est, dicens : « Hujus ordinis fratres commendabiles valde referunt et fidelissimos Terræ Sanctæ, et in ipsis milites strenuissimos præeminere [5]. » Quod autem optimam de illis opinionem conceperit minime mirum est; e Germania scilicet omnes originem trahebant, Thomæque non in Brabantia modo, sed in Coloniensi et Treverensi provinciis variisque Imperii partibus multos amicos fuisse constat.

In ceteros præterea monachos laudum parcus, Benedictinos sæpissime insectatur, illis male dicens, quia data multa pecunia jus deferendi indumenta episcopalia plures eorum abbates soleant acquirere [6], idque in quodam abbate Aquicinctensi reprehendit, quod vix prima spiritualis regulæ noverit elementa, ecclesiam vero suam « plus quam in decem librarum millibus, » ut privilegio illo frueretur, obligaverit [7]. Quanta enim ira in ceteros monachos exarsisse fratres mendicantes arbitramur, cum eos equis insidentes, eleganti vestitu decoros multisque famulis circumdatos viderint! Et id sibi quadam die contigisse narrat frater Thomas : « Occurrit mihi in via quidam altioris ordinis abbas, cum multorum equorum robore atque familia, ut potius ducem aut comitem credidissem, nisi eum in facie cognovissem. Spreverat in sacerdotibus rotundam communis habitus cappam, et tabardum, quem Gallici canem dicunt, id est *vlieger* [8], induerat. Vestes ejus ex scarleta forrata vario duplices, vix genua contingentes. Ocreas habebat in cruribus, quasi ei innatæ es-

1. II, LIV, 10.
2. II, XXXVIII, 2; II, XXIX, 40. De Beguinis vide lib. II, cap LI, § 12; cap. LIV, § 10.
3. II, LIII, 8.
4. Ab eis se mortem Jordani, magistri Prædicatorum, didicisse refert : *Vita sanctæ Lutgardis*, lib. III, cap. I, § 2, p. 256.
5. II, LIII, 8.
6. I, VI, 2.
7. I, VI, 3.
8. Verba « id est vlieger » in pluribus codicibus desunt.

sent, sine plica porrectas. Nec aliud defuit, nisi sertum in capite, quod non novi tirocinii militem loqueretur [1]. »

In ordinem Benedictinum quamdam mollitiem irrepsisse conqueritur, in quo quidem ab antiquis temporibus pueri sacris vestibus induantur; nam « puerum rationis expertem vovere quod nescit » absurdum est [2], consuetudinemque illam prorsus abjiciendam esse præstito exemplo demonstrat [3]. Benedictinus est abbas iste Sancti Matthiæ Treverensis, qui « totas terrenis actibus manus dedit [4]; » Benedictini et tres illi monachi, « in omni lascivia dissoluti, » quorum uno inter epulas mortuo, duo residui, derelicto loco ubi socius eorum ceciderat, prandium perfecisse dicuntur [5]. Nescimus tamen utrum ejusdem vel alius ordinis sint duo isti senes, morum turpitudine deformes gulæque dediti, quorum alter ad ipsam mensam obiit, alter « cum enormi crapula sic est repletus, ut amens penitus portaretur ad lectum, et quasi brutum animal exspiravit [6]. » Ut autem a nefando vitio præservetur monachus, id frater Thomas omnino vetat, ne quis extra refectorium absque debita causa convivia instauret [7].

Religiosos etiam in multis locis mentiri solitos asserit, unde hoc proverbium ortum sit, quotiescumque eorum aliquis spreta veritate fuerit locutus : « Salva res est; per abbatem suum licentiose mentitur [8]. »

Brevis inde ad immaniora flagitia transitus; sunt enim quos non terreat sanguis in ipso monasterio effusus, quod sane prope Papiam, Lombardiæ civitatem, pontificante Innocentio Tertio, in monasterio Sancti Petri extra muros factum esse dicitur, ubi monachi abbatem suum crudelissime peremerint [9]. Eadem sævitia fœdi nonnulli e Gallicis cœnobitis, ut testatur scelus a regularibus quibusdam canonicis admissum. Narratur Herveus [10] abbas Sanctæ Mariæ de Burgo Medio Blesensis, cum monachos sibi subditos blandis verbis ad observandam regulam frustra

1. I, VII, 2.
2. II, XXXVI, 2.
3. De hac eadem consuetudine vide lib. I, cap. XVII, § 4.
4. I, XIII, 2.
5. I, VII, 3.
6. II, XII, 5.
7. II, XII, 3.
8. II, XXVI, 8.
9. I, XXI, 4.
10. Is a Thoma Cantipratensi Henricus perperam appellatur.

incitavisset, Romanam curiam adiisse, summique pontificis auctoritate munitus, in conventu eam, quam decebat, disciplinam restauravisse : « Hæc videntes alii, finxerunt se per tempus religiosos et simplices, et in hypocrisi nequiter ambulantes, abbati se quasi familiarissimos conjunxerunt. Qui, ut vir pius et bonus, omnia tolerans, omnia credens, eis liberioris vitæ frena laxavit. Quibus illi tam damnabiliter sunt abusi, ut viginti octo ex eis pari malitia convenirent, et tres viros scelestissimos ribaldos conducerent, et eos in mortem sancti viri per pecunias animarent. Qui quodam vespere, cum abbati extra oppidum ad negotia properanti, sicut ordinaverant, obviassent, salutantem eos ac prædicantem salutis viam extractis ensibus crudeliter occiderunt. » Inde, detecto scelere, novus abbas, obtentis a papa ad regem Franciæ comitemque Blesensem litteris, omnes monachos admissi facinoris suspectos sæculari potestati tradit : « quorum nonnulli, veritatem salubriter confitentes, incarcerati perpetuo, pœnitentiam acceperunt, alii vero, a sacris ordinibus degradati, morte puniti sunt. Sexdecim vero ex eis, qui in scelere potissimi (*sic*) credebantur, manus homicidas sibimet imponentes, seipsos in carceribus suspendiis vel aliis mortis generibus occiderunt [1]. »

Inter conversos quoque, vel fratres laicos, et monachos in una eademque domo talia nonnunquam odia feruntur exorta esse, ut ab effusione sanguinis non abstinerent [2]. Nec minores inter religiosos clerumque sæcularem simultates. In civitate Leodiensi, major cathedralis ecclesiæ præpositus cum armata manu monasterium Sancti Jacobi invadit, nepotemque suum, qui ordinem sancti Benedicti invitis suis intraverat, violenter abripit [3]. De quibus omnibus monachos hoc tantum excusatos habere velimus, quod in clero sæculari eadem, quæ in regulari, morum sævitia sæpius appareat [4].

1. I, XVI, 2. Hanc paginam, *e Bono universali* excerptam, in *Gallia christiana* (t. VIII, col. 1391-1392) una cum litteris Honorii Tertii, negotium contingentibus (*ibid.*, *instrumenta*, col. 429, die decembris XV, anno MCCXXVI) invenies.

2. II, IV, 3.

3. II, XXXV, 2.

4. Reginaldum, Tullensem episcopum (I, XXI, 4) Thomas narrat instigante Matthæo, cui in episcopatu successerat, propter luxuriam et rapinas depositio, occisum esse. Cf. *Gallia christiana*, t. XIII, col. 1010.

X

DE SÆCULARIBUS CLERICIS.

Prælatos clericosque sæculares iis, quibus solebat, laudibus ornaturus Thomas Cantipratensis, facetum id fore censuit, si Satanam, quid de illis sentiat dicentem, in medium proferret. Ait enim clericum, in quadam episcoporum synodo prædicaturum, de his quæ dicturus esset valde sollicitum fuisse. Cui diabolus : « Dicas eis istud, et non aliud : « Principes infernalium « tenebrarum principes Ecclesiæ salutant. Læti omnes nos gra- « tias eisdem referimus, quia cum ipsis eorum nobis afferuntur « subditi, et per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus « pariter fere mundus [1]. » Nec solus iste locus est, in quo adeo benignum sibi erga sæculares Dei ministros animum esse monstraverit, quos avaritiæ, luxuriæ, superbiæ reos immisericors profitetur [2]. « O quam pauci sunt ex his, qui non proprie sola quærunt, quæ sua sunt, et in minimis quæ Jesu Christi! Mallent potius commissas sibi animas saucias per totum annum in mortalibus dissimulare peccatis, quam equum suum clavo pedis læsum uno die vel duobus negligere claudicantem [3]. » Plures enim inter archiepiscopos, episcopos, canonicos illi sunt, quibus Thomas post male acquisita hujus vitæ gaudia tremendum Dei judicium infernalesque pœnas appropinquare nuntiat : « Veniet certe dies, cum justum judicem Christum non tantum læto, sed audaci vultu adversum vos interpellabit Ecclesia [4]. »

Homines quidem potentia et honoribus insignes studio quoque divitiarum nonnunquam deditos fuisse minime negandum est, nec aliter potuit fieri, cum prælati persæpe reditus abundantes perciperent, et ad varias voluptatum illecebras multorum exemplis sollicitarentur. In re tamen illa modus quidam servandus erat, quem multi videntur excessisse. Quos noster,

1. I, XX, 8.
2. I, XX, 9.
3. II, X, 30.
4. I, VIII, 3.

et ipse modum plerumque excedens, cavillatur et flagellat, quasi ea, qua gloriabantur fratres Prædicatores vel Minores, in episcopis vel canonicis pariter requirenda fuerit paupertas. Et nonnullos sane prælatos obiter ab eo laudatos fuisse videmus; universi vero cleri auctoritatem repetitis criminibus et nimia irrisione, quantum in eo erat, imminuit. Ad hoc enim natura proni sumus, ut id, quod aliquibus non injuria objicitur, ad omnes pertinere credamus, neque id Thomæ in animo fuisse arbitramur, ut de paucis loqueretur, ubi dixit : « Non tantum impium, immo sacrilegum judico, ut quis abbas vel prælatus spiritualibus filiis, quibus summe tenetur, detrahat necessaria, et famulis superflua largiatur, pannis vilibus isti, illi comitum mollibus vestiantur, isti vaccinis calceis sordeant, illi hircinis ocreis niteant [1]. »

Ceterum clericos, licet in eos manifesta motus invidia, non expresse ideo vituperat, quod equis utantur, aut asperam mendicantium fratrum non amplectantur vitam. Quin junioribus aliquando id permitti dicit, ut falcones vel accipitres habeant, et « in avibus cæli ludant, servitio ecclesiæ non relicto, horis et temporibus congruis, ne tentationum diversarum fluctibus subruantur [2]. » Sed in illos potissimum stomachatur, qui sæpe, quietis impatientes, « sine ulla necessitate negotii, cum maximis dispendiis et impensis crebrius evagantur [3], » vel qui curam animarum sibi commissam deserentes, procul a parochia vivere solent [4]. De quo quidem locuti, rem attingimus, quæ multorum animos tunc sollicitavit, anquirentium quonam modo id fieri posset, ut unus homo plurium beneficiorum in variis ecclesiis detentor, in illis eodem tempore pastorale officium a se susceptum digne exerceret. Ad quod econtra respondebant alii, ecclesias vel præbendas, clericis cujuscumque generis concessas, plerumque adeo tenues vel pauperes esse, ut in una non id inveniendum esset, unde presbyter vel canonicus honeste viveret. Magnæ longæque inde lites, quibus et theologorum opera, et scriptorum chronica, et summorum pontificum acta referta sunt. Quæ etiam ut dirimerentur, annis MCCXXXV et MCCXXXVIII, convocante et præsidente Guillelmo Parisiensi

1. I, XVIII, 1, p. 65.
2. I, XX, 5. Vide ea quæ de Hugone decano Cameracensi narravit, qui, ad Cisterciensem ordinem se conferens, in limine monasterii accipitrem liberum dimisit (*Ibid.*).
3. I, XVIII, 1, p. 63.
4. I, XIX, 3.

episcopo, plures e doctissimis Galliarum prælatis et monachis convenerant. Ea autem, quæ ab illis ad extremum statuta sint, memoriæ tradit frater Thomas, ut is, qui ad rem summopere intentus fuerit [1].

De hac eadem re non semel disserens, eorum nomina opinionemque refert, qui plurium beneficiorum detentoribus contrarii fuerint. E quibus inter ceteros, ne de Prædicatoribus vel Minoritis loquamur, et Petrus cantor Parisiensis fuit, et Guiardus Cameracensis episcopus, et Robertus de Courçon cardinalis, qui jam a vita migraturus Jacobo Vitriacensi, Acconensi tunc episcopo, dixisse fertur : mortale et damnabile id esse, si quis plura beneficia, quorum uni sufficientes sint reditus, retineat. Idem etiam opinatus est Gregorius Nonus papa, qui, interrogatus num de plenitudine potestatis cum detentoribus plurium beneficiorum dispensare posset : « Non possum, inquit, nisi tan« tum super vexatione detinentium dispensare [2]. »

Immitis ergo noster in omnes eos, qui qualicumque modo plura beneficia detineant, gravissimis eos pœnis et ipsa morte non indignos ducit, divinæ in eos ultionis seipsum testem fuisse referens : « Ego in quadam civitate episcopali annis undecim adolevi, ubi sexaginta duo canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum fere librarum parisiensium in matrici ecclesia serviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Vide ergo qualem vindictam Dei in ipsos vidi, turpissimos detentores. Mihi testis et judex sit Sancta Trinitas unus Deus, quod paucos eorum vidi communi hominum morte defungi, sed subito omnes et reprobe mori. » Neque id sibi sufficere ratus quod canonici nimiæ aviditatis pœnas dederint, quatuor archidiaconos in eadem ecclesia narrat variis miserrimisque modis infra paucos annos obiisse [3].

Aliud etiam eo tempore prælatis, et maxime illis qui altioribus honoribus ornabantur, vertebatur vitio, quod nimias procurationes exigerent. Notum est enim eo nomine consuetudinem illam designari, qua fiebat ut in ecclesiis et monasteriis hospitio exciperentur legati nuntiique Sedis Apostolicæ, archiepiscopi quoque et episcopi, necnon et omnes illi quibus id incumbebat, ut in subditum sibi clerum visitationis officium exercerent. Quod utique æquum omnino et rationi consentaneum fuisset,

1. I, XIX, 5.
2. I, XIX, 8.
3. I, XIX, 10.

nisi plerumque prælati, concesso sibi jure abusi, nimium secum familiarium et servorum, equorum quoque numerum adduxissent, qui res ecclesiarum exhauriebant. Hac itaque hospitum in ecclesias et conventus irruptione monachi et clerici adeo gravabantur, ut sæpe ad summum pontificem deferrentur querelæ, frequentesque in ecclesia exinde orirentur simultates. De his Thomas eadem, quæ tunc monachorum plerique, videtur sentire, ubi de cardinalibus, legatis, archiepiscopis, episcopis aliorumque prælatorum multitudine conqueritur, « qui cum magnis exercitibus suis potius quam familiis, quasi non sit singulis numerus familiæ jure canonico definitus, deserta eremi, hoc est possessiones acquisitas novalium, in ubertatem versas, comedunt [1]. »

Longe itaque a plerisque æqualium suorum dissentit frater Thomas, qui nec divitias, nec elegantem vestitus cultum, nec ullum apparatum in prælatis tolerat. Quos severos erga seipsos, in subditos nonnunquam asperos esse vult. Neque nos ab omnibus clericis laudatum tunc fuisse hunc Remensis ecclesiæ decanum credimus, qui Rotrodum [2], ejusdem ecclesiæ archidiaconum eumdem et in episcopum Catalaunensem electum, in medio capitulo flagellavit, quia exsequiis Alberti Leodiensis episcopi, nuper occisi, absque ea, quam in tali casu canonicos deferre decebat, veste interfuisset. Congregato scilicet capitulo cunctisque residentibus decanus electum, quasi judex reum, interpellat : « Nondum adhuc, ut credo, archidiaconatum aut « canoniam resignastis? » Cui electus : « Nondum, » inquit. — « Surgite ergo, ait decanus, et satisfaciatis ecclesiæ, et dorsum « ad disciplinam coram fratribus præparate, eo quod sine veste « nuptiali chorum cum canonicis contra regulam introistis [3]. » In ipsa tamen severitate, quantumcumque laudanda sit, ab excessu cavendum arbitratur Thomas; quippe qui Guiardum, Cameracensem episcopum, pœnas purgatorii ideo passum esse dicat, quod in subditos asperior fuerit [4].

Ab honoribus ecclesiasticis et dignitate episcopali eos maxime arcendos putat Thomas, qui stolidi sunt et idiotæ [5]; nam et de

1. II, XII, 2.
2. Errat Thomas, ubi hunc Rochardum nominat.
3. II, XXXIX, 2. Confer ea, quæ de eadem re in *Gallia christiana* (IX, 883) dicuntur. De occisione vero Alberti, Leodiensis episcopi, vide ibidem, t. III, 877-878.
4. I, IV, 4.
5. I, II, 2.

pessimis spem aliquam interdum concipiendam arbitratur, dummodo illis suppetant ingenii dotes. Id etiam, se audiente, factum esse dicit, ut juvenis quidam, canonicus, in episcopum assumptus, in taberna, ubi ludo intendebat, eodem temporis puncto lateret : « qui, statim ut se vidit episcopum, mutatus in virum alterum, omnia quæ erant digna officio adeo in se perfectissime ordinavit, ut nullum antiquæ vitæ vestigium remaneret, sed credi posset omni tempore præfuisse. » — « Licet autem, ait, in juvene isto, prius vanitati dedito, eligentibus eum tam bene et fortunate successerit, nullo tamen modo in consuetudinem est trahendum, ubi via certior poterit inveniri [1]. » Quot enim prælati, imposito munere male functi, damnatorum multitudini post mortem adjuncti sunt, episcopo illi similes, quem a dæmonibus nudatum et inter ejulatus ad Tartara tractum noster depingit [2]! Describendis etiam suppliciis, quæ in inferno malis episcopis reservantur, libenter dat operam, ut ex eo loco patet, ubi quidam apparet archiepiscopus, his verbis a diabolo exceptus : « Bene venias, archipræsul! Bene ve-« nias! Bibas ecce de poculo meo, quia mihi longo tempore fide-« liter et infatigabiliter deserviisti [3]. »

XI

DE PRAVIS MULTORUM MORIBUS.

A clericis et religiosis frequens ad laicos excursus, quotiescumque de incontinentia, de malo ludorum usu ceterisque illis vitiis fit sermo, quæ apud homines, in quocumque vivant statu, deprehendenda sunt. Quamvis enim Thomæ Cantipratensi potissimum destinatum sit ecclesiasticis moribus studere, id non sibi vetitum esse censuit ut castitatis vel abstinentiæ documenta in illis etiam quæreret, qui nec impositum monacho cucullum, nec presbyteri vel clerici vestem deferrent.

Ceterum in primis animadvertendum est auctorem non id sibi proposuisse, ut hominum mores, quales in summa essent,

1. I, II, 3-4.
2. I, III, 4.
3. I, III, 5.

depingeret, potius vero eorum, quæ utcumque vitanda forent, afferret exempla. Quod nisi agatur, antecessores nostros credamus eo tempore quadam vitiorum fœditate infectos fuisse. Legentis itaque memoriæ occurrat fratrem Thomam asperum æqualium suorum fuisse castigatorem, raroque aliquem probandum duxisse, qui nec unus e fratribus mendicantibus fuerit, nec illis aperte faverit. Apud alios ergo laicorum laudes quærantur, nec nos id terreat quod illa ætate quasdam virgines a propriis patribus oppressas [1], vel presbyteros in turpem incontinentiam nonnunquam lapsos esse retulerit [2]. Nonne et ipse probarum feminarum egregie facta tradidit, e quibus inter ceteras adulescentula illa fuit, quæ militis ipsam osculantis caput pistillo, quo fercula parabat, percussit [3]? Adsunt et uxores inconcussa in viros fide conspicuæ [4], et optimates, reges etiam, de quibus Thomas ea narravit, unde conjici possit probitatem innocentiamque inter Christianos in eodem, in quo nunc, honore fuisse. Hoc dicto, indefessum vitiorum insectatorem sequamur, ab iis quæ depinxit oculos nonnunquam, ne in fœda nimis et turpia incidant, aversuri.

Impudicitiam tam in clericis et religiosis quam in laicis adeo invisam habet Thomas, ut hanc omni opera vitandam profiteatur, etiam senibus ab ea cavendum arbitratus. Virginibus, ne seducantur, nihil fuga vel silentio securius esse ratus [5], hoc maxime vetandum dicit, ne quis clericus vel monachus religiosas mulieres ad sanctum, ut aiunt, osculum provocet : « Si quis igitur, o virgo Christi, quasi ad sanctum osculum te invitaverit, sputum pro osculo reddas, pugnum ingeras contrectanti [6]. » Addit majorem hominibus laicis in sanctimoniales, feminisque in sæculo viventibus erga religiosos concupiscentiam inesse [7], eos porro, qui semel suadente lascivia peccaverint, ipso teste, etiam in ordine Prædicatorum, omnium sanctissimo, irreparabiliter corruisse [8].

Ne quis autem, periculi nescius, pravis semetipsum consuetudinibus tradat, sex vias e numero notat, quas qui sequuntur

1. II, XXIX, 21; LI, 7.
2. II, XXX, 20, 47.
3. II, XXX, 52.
4. II, XXX, 37; XLIX, 5.
5. II, XXX, 42.
6. II, XXX, 50.
7. II, XXX, 44.
8. II, XXX, 48.

in incontinentiam labi soleant : « Prima consistit in cogitatu turpi et immundo, secunda in visu vel aspectu inordinato, tertia in conciliatricum mediarum alloquio, quarta in verbo vel colloquio luxurioso, quinta in osculo lascivo vel incasto, sexta in contactu illicito [1]. » Porro se omni vitæ tempore miratum esse refert, cur civilia jura in conciliatrices non sæviant : « Qua ergo pœna, dicens, plectenda est lamia, quæ puellæ animam, quam seduxit, tradit diabolo, et corpus lenociniis defœdandum? Præterea turpius dehonestari vel damnificari non potest homo, quam in filia vel uxore [2]. » Adest enim diabolus, et insidias peccantibus parat, et lapsis irridet, et corpora eorum qui impœnitentes decesserunt effodit atque dilaniat [3], mulieri, quæ in cubili castitatis immemor jacet, « Fi! Fi! Fi! » inclamans [4]. De immundioribus etiam flagitiis disserentem, si velis, legas [5].

Ludos omnes animarum saluti infestos Thomas proclamat, hocque uno nomine res diversas designat; et eos primum inter æquales suos carpit, qui agendis gaudent torneamentis, illo scilicet certaminum genere, in quo cujuscumque gradus milites et armigeri, vigente etiam pace, arma conserere consueverunt, quo majorem, inter mulieres præcipue, famam acquirerent. Hunc enim antecessorum nostrorum usum et summi tunc pontifices, et omnes illi religionis ministri exosum habuerunt, quibus impium videbatur ut absque ulla necessitate Christianorum sanguis et divitiæ, neglectis utilioribus præliis, profunderentur : « Exheredantur divites rustici, cives urbium devastantur, exspoliantur pauperes, et vix eis relinquitur frustum panis. Et hoc totum fit, ut tinnitu applaudentium histrionum longe lateque nomen probi militis deferatur. Et certe periit nomen eorum cum sonitu, quando vocum strepitus pertransivit. Quid habet in tali laude probus miles equo Bayardo magis? Guillelmus de Barris nostro tempore miles optimus dictus est; insonuit nomen ejus dum vixit; jam ipso mortuo non auditur. Bayardus vero equus tempore Caroli viguit; quingentis et eo amplius jam elapsis annis mortuus est, et adhuc fama ejus superest. Bucephalus equus magni Alexandri regis Macedonum ob honorem

1. II, xxx, 23.
2. Codex Parisiensis 3309, II, xxx, 38; edit. II, xxx, 36.
3. De his vide librum II, xxx, 5, et alias.
4. II, xxx, 3.
5. II, xxx, 10-12, etc.

sui, mortuus, meruit ut ex nomine suo civitas Bucephalis construeretur; et tu, miles, tu, satelles, probitate tua quid simile meruisti[1]? »

Usum itaque eorum certaminum decori utilitatique christianorum populorum magnum detrimentum afferre multi censebant, nec injuria quidem; nam in uno eorum, in celebri videlicet illo torneamento, quod circa illud tempus juxta Nussiam[2] actum est, trecentos sexaginta septem e præliantibus obiisse refert noster[3]. Quem si etiam in transcribendo occisorum numero multum erravisse admiserimus, fatendum est sanguinem in talibus ludis fœde effusum fuisse. Nec id novum eo tempore fuit; narrat enim Thomas in villa, unde originem traxisse fertur, sexaginta milites arma portantes olim vixisse, qui omnes cum militibus circumadjacentium regionum, « sine ullo armorum præsidio, exceptis lanceis, scuto et galea, induti tantum plicata linea tunica, » torneamenta frequenter celebraverint[4]. Ab austeris quoque cogitationibus id prorsus absonum fuit, quod præliantibus præmium ab adstantibus feminis datum fuerit; quin etiam militem quemdam Teutonicum comperimus, exacto certamine positisque armis, balneo foveri et postea in lectum deponi solitum, ubi quædam ei « puella tenerior, » cujus amplexibus frueretur, allata fuerit[5].

De lusoribus tesserarum Thomas quid sentiat minime dissimulat, dicens : « Hoc ludo pauperes nudi fiunt, mendici divites, nobiles ingrati et suis rusticis viliores. Ex tesserarum autem ludo desperatissimi homines fiunt, sicut fures, raptores et homicidæ[6]. » In eos etiam qui saltare[7] vel impudicos edere cantus[8] consueverunt immitis, saltatricem se vidisse testatur, quæ, postquam multas cum adultero choreas duxisset, morte subita percussa sit[9]; et in Gallia, juxta Laudunum, refert juvenes puellasque disrupto ponte, super quem saltabant, in aquis submersos[10]. Eos insuper, qui his vel similibus modis peccaverint,

1. II, XLIX, 3.
2. Prope Rhenum flumen.
3. II, XLIX, 4.
4. II, XLIX, 6.
5. II, XLIX, 5.
6. II, XLIX, 8.
7. II, XLIX, 12-15.
8. II, XLIX, 19-22.
9. II, XLIX, 15. Simile quid de pulchra quadam puella narrat, dum saltantibus præcinit, mortua (II, XLIII, 5).
10. II, XLIX, 14.

ultionem divinam raro effugere dato exemplo demonstrat : « Quidam tibicen erat, qui chorizantes juvenes et puellas saltationibus et gesticulationibus suis ad carmina obscœna et turpia concitabat. Hinc cælo nubibus circa vesperas obscurato, quique ad propria redierunt. Solo autem tibicine, nondum lusibus satiato, per viam ad solita remeante, et canente tibia, ac saltante, et posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores, ubi coruscationes et tonitrua imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, et eis videntibus in tibicinem fulmen cecidit, et extinxit, et ejus bracchium amputavit. » Addit bracchium a duobus nigris canibus ablatum, corpus vero sepulti hominis paulo post a dæmonibus raptum esse [1].

Venatorum quoque gaudia minime approbat, nec innocentes illos putat, qui « in avibus cæli [2] et canibus ludunt. » Quæ oblectamenta bonis moribus adeo contraria esse censet, ut ingenue credat quamdam mulierem, venatoris uxorem, puerum abortivum, « habentem caput canis venatici », enixam esse [3]. Eum denique ludum, « qui in defunctorum excubiis solet multipliciter exerceri, » inter illa quæ maxime damnanda sunt enumerat [4].

In fæneratores inclementer invehitur, quorum unum se in Brabantia novisse dicit, cum a vitio resipiscere nollet, fœda morte raptum [5]. Alium etiam ex iis narrat, dum quamdam cathedralem ecclesiam in Gallia intrare volebat, ruente in caput ingredientis quadam lapidea fæneratoris statua, foribus insculpta, interfectum [6]. Divitias etiam illicitis modis a talibus acquisitas nonnunquam in monasteriis asservatas esse tradit, abbatemque Villariensem laudat, qui « usurarii » Namurcensis pecuniam procul a monasterio asportari et injuriam passis restitui jusserit [7]. In Vaucellensi quoque cœnobio pecuniam a quodam fæneratore Atrebatensi congestam aliquando asservatam esse eo docente novimus, Walterumque de Beaumont, pium probumque monachum, dum in eadem cella oraret, diabolum scrinio ubi pecunia inclusa erat insidentem increpuisse, cui diabolus hoc tantum responderit : « Bene et juste hic sedeo, hoc, « quod meum est, conservando [8]. »

1. II, LVII, 4.
2. Scilicet falconibus et accipitribus.
3. II, XLIX, 17.
4. II, XLIX, 23.
5. II, XXII, 5.
6. II, XXII, 4.
7. II, XXVI, 5.
8. II, XXVI, 4.

Licet autem ea vitia, de quibus locuti sumus, omnium fere temporum locorumque sint, non minores tamen Thomæ Cantipratensi grates agendæ sunt, qui librum exemplis illustraturus, multa de coætaneorum suorum moribus retulerit. Nunc ad illustres viros, qui vel tunc vel paulo antea floruere, et ad quædam eo tempore gesta transeundum est; quod nos agentes, nimirum experiemur scriptorem, in omnibus his quæ dixerit veracem sane narratorem fuisse, sed utique et Dominicanum et ordinis sui ardentem propugnatorem semetipsum prodidisse.

XII

DE QUIBUSDAM REGIBUS, OPTIMATIBUS, ET MULIERIBUS GENERIS NOBILITATE PRÆCLARIS.

Qualemcumque de statu Ecclesiæ vel de religiosorum vita opinionem conceperit frater Thomas, hoc de nobis optime meruit quod longe lateque peregrinatus, res hominesque attente inspexerit, et ea, quæ hinc et inde dicebantur, fideli servaverit memoria. Quo fit ut, eo duce, multi ex inclitis illius ætatis viris vel mulieribus nobis occurrant.

Omnium illorum, quos vel ipse vidit vel aliorum confabulatione novit, primus hoc loco ponendus est Ludovicus Nonus, de cujus habitu novum quid, et a ceteris scriptoribus nunquam proditum, refert. Ait enim quemdam cursorem, ab Othone, comite Gueldriæ, ad sanctum regem missum, comiti regemne vidisset quærenti respondisse : « Vidi illum miserum papellar-« dum regem, caputium habentem capitis super scapulam ex « adverso suspensum. » Tantæ tamen impudentiæ pœnam non diu effugisse dicitur stolidus iste magni regis derisor, nam « hæc dicens, faciem contorsit ex adverso, et sic facies contorta « remansit [1]. »

Beati præterea regis pium modestumque in omnibus animum nonnullis parum placuisse dicit Thomas Cantipratensis, quem-

1. II, LVII, 63. Hanc Thomæ narrationem in Gallicum sermonem transtulit J. V. Le Clerc (*Histoire littéraire de la France*, t. XXIII, p. 159); de illa etiam disseruit Augustus Longnon (*Documents parisiens sur l'iconographie de saint Louis*, p. 6).

dam prædicatorem referens hoc in eo reprehendendum duxisse, quod vilibus uteretur vestibus, nec purpuratus incederet, et in audiendis missis nimis delectaretur ; « mortaliter autem peccare dicebat omnes illos (fratres Prædicatores intelligens), qui dictum regem inducerent ad hujus modi devotionis et humilitatis exempla. » Ad quæ noster, in iram haud immerito versus, respondet Philippum, gloriosissimum regem, sancti Ludovici avum, « non nisi camelini coloris vestibus indiscretis anni temporibus » usum esse, additque se Ludovicum Octavum, sancti Ludovici patrem, « æque regem gloriosum et bonum », nunquam vidisse purpuratum [1].

Maximam Beguinarum multitudinem a sancto Ludovico Lutetiæ Parisiorum congregatam esse et Thomas Cantipratensis et alii retulere [2]. Hoc vero regem fratremque illius Alphonsum, Pictavensem comitem, in primis laudandos arbitratur noster, quod in illa lite, quæ inter Dominicanos et Universitatem Parisiensem pontificante Innocentio Quarto exorta est, « se muros pro fratribus » posuerint [3], nec ingratus haberi volens : « Age ergo nunc, exclamat, superno regi, salutis tuæ principi » Christo, age, inquam, Ecclesia, age tu præcipue, Prædicator » et Minor, agamus et omnes sollemniter gratias, qui talem istis » temporibus regem dedit, qui in forti manu teneat regnum » suum, et nihilominus pacis, caritatis, humilitatis exempla » præbeat universis [4]. »

Cum vero benignum erga fratres mendicantes animum sanctus Ludovicus multis modis ostenderit, illum tamen minime credimus eo usque processisse ut omnes illos, quos Dominicani vel Franciscani non diligerent, ideo et ipse oderit. Et in hoc prorsus erravisse Thomam Cantipratensem arbitramur ; is enim, Gualterii Cornuti, Senonensis archiepiscopi, Vicennis defuncti, mortem narrans, dicit regem a loco cum tota familia aufugisse, « ne cum archiepiscopo divinitus feriretur [5]. » Et ideo archiepiscopum subita morte multatum esse putat, quod regis « juvenilem animum » ad parcendum Judæis induxisset. Ludovicum Nonum immo novimus tunc viginti sex annos natum esse, nec eum fuisse qui neque expavesceret, neque in virum egregium,

1. II, LVII, 64.
2. II, XXIX, 40.
3. II, X, 23.
4. II, LVII, 65.
5. I, III, 6.

licet Dominicanis invisum, vindictam divinam e cælo cecidisse crederet.

Alphonsum, Pictavensem comitem eumdem et sancti Ludovici fratrem, eo tempore quo rex e Terra Sancta nondum rediisset « procuratorem Franciæ » Thomas fuisse dicit [1], quod et re vera fuit, licet Alphonsus nullo titulo eam, qua præeminebat, potestatem designaverit. Utriusque vero sororem Isabellam debitis laudibus prosecutus, id olim regi propositum fuisse refert, ut illa Conrado, Frederici Secundi filio, nuberet, nec tamen hoc piæ virgini placuisse, « quæ, soli Deo vacans, adeo contemplationi deditur et virtuti, ut nulla ei cura in ullis transitoriis videatur [2]. » In quo quidem et variis scriptoribus et Agneti de Harcourt consentit, quæ de sanctitate beatæ Isabellæ, vitam ejus conscribens, eadem memoriæ tradidit.

Regia pariter e stirpe oriunda fuit Maria illa, cujus mortem, sibi olim narratam, refert Thomas, Campaniæ comitissa, Henrici Liberalis comitis conjux, Philippi Augusti, Galliæ regis, Henrici junioris, Ricardi Johannisque, Angliæ regum, soror, Henrici, Hierosolymitani regis, mater. Hanc in ipso, ubi decessisset, conclavi a propriis militibus et famulis impudenter spoliatam esse legimus. A qua quidem arcessitus abbas Persaniæ, postquam ante fores diu, nemine aperiente, exspectaverat, tandem effracta janua in domum intromissus, corpus nudum, e cubili dejectum invenit. Tunc abbas, mortuam operiri vetans : « O vos omnes, venite ! cernite pompam nobilissimæ comitissæ « Mariæ ! Videte illud delicatissimum corpus quanto dedecore « pudoris devolutum est. Videte quid ei pro multiplici honore « et gloria finaliter mundus exsolvit [3]. »

E comitibus quoque Campaniæ fuit ille, cujus pietatem in pauperes laudavit frater Thomas ; quo vero nomine sit dicendus, nos latet [4]. Simili etiam in egenos et leprosos misericordia insignem fuisse comperimus Theobaldum, Blesensem comitem [5]. De Blanca, Campaniæ comitissa, quæ Theobaldum regem Navarræ, inter poetas illustrem, filium habuit, recte dicit ab ea institutum esse Argenceolense monasterium ; mox vero, solita usus credulitate, fabulatur cuidam piæ mulieri, domus ejusdem abba-

1. II, x, 32.
2. II, xxix, 40.
3. I, vii, 7. Cf. *Gallia christiana*, t. XIV, p. 520.
4. I, xii, 2.
5. II, xxv, 14-15.

tissæ, visum esse quod comitissæ cervici angelus, gladio armatus, immineret, eamque hoc a Deo obtinuisse ut, sospite Blanca, ipsa moreretur[1]. Isabellam, comitis Engolismensis filiam, quam et Johannes Angliæ rex, et Hugo Marchiæ comes uxorem duxerunt, non ipse novit, sed id fieri procurante illius matre refert quamdam puellam ejus obsequiis addictam esse, cujus conversatione postea ipse usus fuerit[2].

Inter Gallos, genere nobiles, maxime dilectum et familiarem habuit Philippum de Montmirail, « vitæ perfectissimæ virum, » qui « totum tempus suum vel in oratione ac devotione continua, vel in sanctis collocutionibus expendebat. Noverat enim multos valde religiosæ vitæ viros ac feminas, quos in Græciæ, Longobardiæ, Burgundiæ, Provinciæ, Galliæ, Flandriæ atque Brabantiæ partibus quærendo lustraverat, quorum virtutes, mores et verba miro cum fervore et desiderio referebat, et ad meliora per hoc mentes audientium excitabat. » Huic tanta fuit erga religiosos pietas, ut vix unde viveret habens, octo Cisterciensis ordinis monasteria instituerit, ne de Beguinis loquamur, « quas usque ad quinque millia et eo amplius in diversis locis in Christi servitio mancipavit[3]. »

Sed longe abest ut de sola Gallia sollicitus fuerit frater Thomas, qui, cum esset Cameracensis, et Cantipratensis monachus, et Lovaniensis supprior, res in Germania gestas optime novit. De viris itaque, qui Imperium tunc temporis illustraverunt, plura memoriæ tradit, inter quos primum locum obtinent ipsi imperatores Romanorumque reges. Othonem Quartum narrat, jam aliquanto abhinc tempore mortuum, cuidam abbatissæ, cujus cognatus fuisset, semetipsum ostendisse. et rogavisse, ut illa in diversis monasteriis pœnitentias injungeret, quibus factis, a pœnis, quas in purgatorio pateretur, liberaretur imperator. Idque pio Prædicatori eo magis mirandum videtur, quod Otho, paulo antequam defungeretur, sæviente per Germaniam frugum inopia, « infinitam annonam » monasteriis et egentibus largitus esset. De illius etiam erga Deum pietate istud, laude vere dignum, eodem loco legitur : « Nec mireris, lector, quia ab illis audivi, qui interfuerunt diutino langori ejus et morti, quod omni die sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellan-

1. II, XLVI, 6.
2. II, XXX, 53.
3. II, XXXVIII, 2. De eodem Philippo similia quædam retulit Stephanus de Borbonio (Lecoy de La Marche, *Anecdotes d'Étienne de Bourbon*, p. 20-21).

dum, et ejus contritio tanta fuit, ut ille, cujus superius fecimus mentionem, vere dignus Conradus Hildesemensis episcopus, testaretur vix se posse credere quod Otho imperator, post tantam contritionis pœnitentiam, vel ad horam post mortem purgatorium sustineret [1]. »

Fredericum Secundum, Apostolicæ Sedis inimicum, et insignibus ingenii dotibus et morum incontinentia flagitiisque illustrem, non eodem Thomas, quo multi, videtur odio prosecutus esse [2], fratri Salimbene quasi quodam modo similis, qui se magnum imperatorem olim dilexisse refert. Ait enim illum, eo tempore quo beatus Thomas Aquinas a fratribus suis in carcerem detrusus esset, a Johanne, Prædicatorum magistro, rei certiorem factum esse, parumque abfuisse quin iratus in delinquentes sæviret : « Nec ullo modo, inquit Thomas, mortis sententiam evasissent, si dictus magister in querimonia perstitisset; sed veritus est judicium sanguinis, et imperatoris animum mitigavit. Graviter enim, audita tanta inhumanitate fratrum in fratrem, Cæsar commotus erat [3]. » Nam plurimum apud Fredericum valuisse videtur Johannes ille magister, cum potentissimo imperatori impudicitiam exprobrare non formidaverit, « quod licet imperator patienter audire videretur exterius, in corde tamen indignantissime gravabatur. » Inde dicitur Fredericus, ut objurganti silentium imponeret, cuidam e suis meretricibus præcepisse ut sanctum virum ad lapsum inclinaret : « quod ubi illa secretius, convenientius et malitiosius attentavit, clam in insidiis imperatore cum pluribus contuente, vir beatus, manum erigens in sublimi, meretricem in maxillam cum virtute percussit, et facie tenus in terram elisit. » Placuit res imperatori, qui Johannis constantiam admiratus, majore dehinc eum reverentia coluisse dicitur [4].

Et profecto miris illecebris apud multos pollebat metuendus ille Ecclesiæ insectator, quem frequenter, etiam inviti, laudaverunt qui adversis partibus adhærebant. E quibus unus erat Thomas Cantipratensis, cum Willelmo Hollandiæ comiti, in Romanorum regem electo Fredericique æmulo aperte faverit. Patet enim eum anno Christi MCCLIII, eo videlicet tempore quo Flandrenses a Florentio, Willelmi fratre, in Walacria

1. II, LIII, 19.
2. Licet eum « scismaticum » fuisse dixerit (II, III, 9).
3. I, XX, 10.
4. II, XXX, 43.

insula profligati sunt, audita Batavorum victoria lætatum esse, quod quidem ex ipsis ejus verbis colligendum est : « Antequam in Walacria sub rege Willelmo, moderatore Romanorum, a comite Florentio et Zelandensibus Flamingorum exercitus feriretur, oranti cuidam pro dicta gente, id est pro Flamingis, in oratione responsum est : « Sinite superbos humiliari. » Quod tertia post die factum inspeximus [1]. » Matrem etiam Willelmi regis Mathildim, Hollandiæ comitissam, novit frater Thomas, cujus relatu se comperisse dicit illam, peracta pugna, in Walacriam insulam devenisse, campumque cadaveribus opertum una cum duobus fratribus de ordine Prædicatorum, ut saucios colligeret, lustravisse. Affuit et comitissæ quædam matrona, genere nobilis, quæ morientibus pariter ea, quæ poterat, solatia fertur attulisse [2].

A Willelmo rege nuntios videmus ad Alphonsum Pictaviæ comitem, Ludovico rege in partibus transmarinis agente, « pro negotio pacis Imperii » missos [3]; res autem eas, de quibus tractaturi comitem adiissent, vel ignoravit auctor, vel certe non duxit expresse prodendas.

De nobili comitum Viennensium [4] gente nonnulla dixit; de Ludovico, Losiensi comite, qui beatæ Christinæ Mirabili speciali conjunctus fuit amicitia, quædam narrat [5], memoriæque tradit Cisterciense Vallis Ducis monasterium ab Henrico, Brabantiæ duce, petente Margarita filia fundatum, quod et verum esse constat [6].

XIII

DE QUIBUSDAM SUMMIS PONTIFICIBUS, CARDINALIBUS ET PRÆLATIS.

Pontificum, qui tunc Romanæ præfuerunt Ecclesiæ, Thomas

1. II, II, 4.
2. II, II, 5.
3. II, X, 32.
4. Id est comitum de Vianen (II, XXIX, 30, 39).
5. II, XLIII, 5; II, LIII, 23. Cf. beatæ Christinæ Mirabilis vitam, cap. IV, §§ 41-45.
6. II, X, 8. *Gallia christiana*, V, 83.

Cantipratensis nullum, ut opinamur, vidit; nec tamen omittenda sunt ea quæ de illis, solita usus vehementia, conscripsit. Honorium Tertium [1], Gregorium Nonum [2], Alexandrum Quartum [3], qui tot tantaque in ordinem Prædicatorum beneficia contulerunt, talibus verbis extulit ut, ubi de illis loquitur, quasi rem propriam videatur agere. Quod si quis reputaverit fratres Prædicatores et Minores Ecclesiæ Romanæ contra Fredericum Secundum, pontificante Innocentio Quarto, incredibili studio militavisse, forte credat id fieri debuisse ut easdem Innocentio noster, quas ceteris, laudes tribueret. Cui tamen nunquam Thomas ignoscendum esse credidit quod, extremo vitæ tempore, fratres Prædicatores, contra Universitatem Parisiensem dimicantes, non in omnibus approbaverit.

Et ideo forte illum delectavit verba posteris tradere, quibus Guiardus, Cameracensis episcopus, coram Innocentio Quarto in Lugdunensi curia profiteri non dubitavit, id fieri posse ut in simoniam ipse summus pontifex incidat [4]. Sed multo majore audacia, vel potius procacitate, in eumdem papam, jam mortuum, eo insurrexit quod, datis quibusdam litteris, privilegiorum Prædicatoribus concessorum aliquantulum immemor fuisset : « Quidam nostro tempore papa, cujus nomen propter Sanctæ Sedis reverentiam silentio pertransimus, cum, sicut ab illis indubitanter accepimus, qui Romæ in curia tunc fuerunt, litteras dedisset contra privilegia a seipso et suis prædecessoribus, quatuor apostolicis, obtenta duorum ordinum... eadem die paralysi percussus obmutuit, nec unquam postea invaluit aut surrexit. Qui etiam a quodam sanctissimo viro extra muros urbis Romæ manifestissime visus est mortuus dari sanctis Dei Francisco atque Dominico judicandus [5]. »

Ecquid illa contumelia, summi pontificis memoriæ a fratre Prædicatore illata, impudentius? Vel quis non fateatur auctorem hæc dicentem ordinis sui famæ parum providisse? Nam per totam quasi vitam fratribus Dominicanis summam benignitatem ostenderat Innocentius Quartus, et nihilominus a quibusdam allegatum est illos eo mortuo a publica manifestaque lætitia non abstinuisse [6].

1. II, LVII, 43.
2. I, XIX, 8; II, LVII, 44.
3. II, X, 22-23.
4. II, III, 5.
5. II, X, 21.
6. *Histoire littéraire de la France*, t. XIX, p. 199.

Vix autem credendum sit, nisi oculis subjectum appareat, fratrem Thomam, in alio quidem libro, sinistra quædam et de Innocentio Tertio retulisse. Ait enim egregium illum papam æterno supplicio dignum fuisse, idque sola beatæ Virginis intercessione obtinuisse, ut in purgatorio, triplicis culpæ reus, ultricibus flammis ureretur[1].

Infelicior autem Innocentio Tertio Philippus, ecclesiæ Parisiensis idem et Universitatis cancellarius, quem non modo Lutetiæ contra Dominicanos latravisse dicit Thomas, immo ex inferno redeuntem ostendit, Guillelmoque Arverno, Parisiensi episcopo, inter gemitus narrantem, se æterna morte damnatum esse. « Et episcopus : « Heu! ait, carissime, quæ causa tuæ « damnationis? » — « Tres sunt, inquit, causæ, quare morte « perpetua[2] sum damnatus. Una est quod recrescentes fructus « annuos contra pauperes tumide[3] reservavi. Secunda est quod « contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum, « quasi licite tenendorum, opinionem propriam defensavi, et in « hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, et illa « gravissima omnium, quod abominabili carnis vitio in scanda- « lum multorum multo tempore laboravi[4]. » Philippum autem cancellarium doctissimorum[5] relatione novimus et officio optime functum esse, et pravis scholarium moribus maxime fuisse infensum. Minime vero propterea damnandus videtur, quod plura beneficia uni clerico nonnunquam conferri voluerit; nam res ea et tunc, et nostra etiam ætate, semper in dubio remansit.

Inter omnes cardinales Thomas Jacobum Vitriacensem dilectissimum habuit; amplas quoque laudes Conrado, primum Villariensi, postea Cisterciensi abbati, Portuensi denique episcopo, tribuit, qui ordinem Prædicatorum summa devotione fovit[6]. Robertum de Courçon, in prima Damiatæ obsidione defunctum, unum ex illis fuisse dicit, qui plurium beneficiorum detentores nunquam approbaverint[7]. Hugonem de Sancto Caro, Dominica-

1. *Vita sanctæ Lutgardis*, II, IV, 7.
2. « perpeti », apud Colvenerium.
3. « timide », Colv.
4. I, XIX, 6.
5. De Philippo cancellario nuper disserens Bartholomæus Hauréau (*Journal des savants*, juillet 1894, p. 434), plane demonstravit nullam iis criminibus, quæ in virum Thomas Cantipratensis congesserit, fidem adhibendam esse.
6. I, IX, 2-4, 6, 8.
7. I, XIX, 8.

num, Ricardum Hannibaldensem, Johannem Gaietanum, Romanæ pariter Ecclesiæ cardinales, Prædicatoribus contra Universitatis magistros affuisse tradit[1].

Petrum de Collemedio, in Campania Italiæ provincia natum, Sancti Audomari præpositum eumdem et Rotomagensem archiepiscopum, atque ab Innocentio Quarto in cardinalem episcopumque Albanensem promotum, « magistrum opinione permaximum » fuisse dicit; neque id illis mirum videbitur, qui noverint quanta sollertia industriaque Petrus Ecclesiæ Romanæ diu servierit. Nomen illius Thomas, ei quodam modo parcere volens, in libro non expressit[2], quia fratribus Prædicatoribus et Minoribus infensus fuerit; « et ob hoc, ut patuit, tali morte multatus est; cadens enim de loco editiore, fractis cervicibus exspiravit. » Nec tamen abstinuit noster quin virum debito præconio extolleret : « Cognovi ipse hominem, ut commensalis dilectus et familiaris eidem, secum una domo Parisiis hospitatus. De quo fateor raro sæcularem clericum tam sobrium, tam honestum, tam affabilem, tam largum in pauperes me vidisse. Et eum utique vidi novem episcopatuum contemptorem, tandemque per tres menses excommunicatione coactum archiepiscopatus cujusdam suscipere dignitatem. Inde vero translatus, Romanæ fit curiæ episcopus cardinalis, et in tali eminentia taliter, ut audiistis, desipuit. Sed spero quod non in finem Deus obliviscatur ejus, nec in ira sua continebit misericordias suas, sed magna pietate sua miserebitur forsitan pœnitenti[3]. » Parum igitur id Petro de Collemedio profuit, quod tanta morum ingeniique præstantia eminuerit; et illi profecto id unum, si cæco surdoque judici crediderimus, capitale fuit, quod, fratribus mendicantibus adversatus, scelus nulla venia dignum admiserit.

Albertum, Sedis Apostolicæ legatum, qui inter fratres Prædicatores et Universitatem pacem reducere frustra conatus est[4], Gualterium Tornacensem episcopum, in partibus Albigensium pariter legatione functum[5], inter ordinis sui et Ecclesiæ benefactores annumeravit. De pluribus episcopis, qui tunc in Gallia vel Germania variis ecclesiis præfuerunt, multa refert; eos vero,

1. II, x, 23.

2. Thomam Cantipratensem eo, quem infra transcribimus, loco de Petro locutum esse patet, idque inter ceteros demonstravit Jacobus Quétif : *Scriptores ordinis Prædicatorum*, t. I, p. 253 *a*.

3. II, x, 34.

4. II, x, 32.

5. I, xv, 2.

non nisi expressis tantum nominibus, in brevi opusculo memorare licet, nam in *Bono universali* vel semel vel pluries occurrunt Petrus de Corbolio, Senonensis archiepiscopus [1], Guillelmus Arvernus, Parisiensis episcopus [2], Guiardus, Cameracensis episcopus [3], Conradus Hildesemensis [4] et Bonifatius Lausannensis episcopi [5]. Mauritii, Cenomanensis episcopi, qui postea in Rotomagensem archiepiscopum promotus est, austeritatem benignitatemque celebravit [6], qui, antequam in episcopum assumeretur, « in Trecensi ecclesia archidiaconus constitutus, circuibat diœcesim pedes, et eam in solo baculo prædicationis visitabat. » Eumdem tamen Rotomagensem archiepiscopum, a fratre Thoma laudibus ornatum, quandoque et arrogantem et fidei erga regem suum parum memorem fuisse novimus, cum Blancam reginam Ludovicumque Nonum, tunc adulescentem, incredibili acrimonia impugnaverit.

XIV

DE QUIBUSDAM REBUS EO TEMPORE GESTIS; DE JUDÆIS ET HÆRETICIS.

De rebus ipsis, minus quam de hominibus, sollicitus fuit frater Thomas; et ad ea sane, quæ sibi demonstranda proposuerat, parum spectabat regum gesta variosque bellorum eventus narrare. De publicis tamen illius temporis cladibus, de motibus populorum, brevia quædam et satis rara reliquit. Famem exeunte sæculo duodecimo non semel in Gallia Germaniaque sæviisse dicit [7], refertque Aquitaniam ipso vivo [8], Treverensem provinciam vicinasque regiones anno Christi MCCLVI procellis esse

1. II, LI, 7.
2. I, XIX, 6; II, LV, 4. Hujus vitam descripsit natalis Valois (*Guillaume d'Auvergne*, Paris, 1880, in-8°), qui quidem in hoc opere Thomæ libro frequenter usus est.
3. I, XIX, 8; II, III, 5.
4. I, III, 4; II, LIII, 19.
5. II, XXX, 6; II, LVII, 32.
6. I, I, 4; I, VIII, 2.
7. II, III, 8; XXV, 7.
8. II, LVII, 3.

vastatas[1]. Nec minus metuendam fuisse, eo docente, novimus copiarum illarum rabiem, quas Ricardus, Anglorum rex, Philippo Augusto bellum ingerens, e Brabantia in Pictaviam Wasconiamque adduxerit[2].

Bella sacra suo tempore gesta, quibus præparandis omnem operam fratres Prædicatores dederunt, his verbis enumerat : « Prima crux nostri temporis contra terram Albigensium prædicata est, secunda in Terram Sanctam contra Sarracenos, tertia iterum contra Albigenses, quarta contra Stadingos, quos in Teutonia Henricus dux Brabantiæ cum suis stravit, quinta iterum in Terram Sanctam, sexta contra Aquenses, qui se pro scismatico Frederico, quondam imperatore, contra Guillelmum regem Romanorum electum stultissime opposuerunt, septima contra Hezelinum nobilem Italiæ et ejus complices, qui condemnatus, et publicus hæreticus, fidem catholicam graviter insectatus est[3]. » Et sane dolendum est de illis bellis apud Thomam Cantipratensem fere nihil inveniri. Crucem se in cælo, eo tempore quo Ludovicus Nonus in Orientem profecturus esset, vidisse testatur, sacri belli præsagam[4].

Infinitam quoque puerorum multitudinem anno MCCXIII, assumpta cruce, iter Hierosolymitanum aggressam esse tradit[5], de quo quidem et alii plura retulerunt ; nec inutile conscribendis rebus in Gallia gestis id esse censemus, quod de miseris pastoribus narravit, qui se Ludovicum regem, ab Ægyptiis captum, liberaturos jactabant, optimique propositi mox immemores, vastatis variis regni partibus in clerum ecclesiarumque bona summa feritate sævierunt[6]. Quod vero sanctus Ludovicus, in Terram Sanctam profectus, se Tartaros ad fidem christianam conversurum esse speraverit, eximiaque ad eorum regem munera, ea deferentibus duobus Prædicatoribus duobusque Minoritis, transmiserit[7], id non modo a fratre Thoma, sed a pluribus aliis, ut omnes noverunt, narratum est.

De Tartaris in Hungariam, Kioviam, Poloniam irruentibus, Europæque occidentali excidium, ut ab aliquibus credebatur,

1. II, LVII, 2.
2. II, LI, 4.
3. II, III, 9.
4. II, III, 9.
5. II, III, 14.
6. II, III, 15.
7. II, LIV, 14.

illaturis sæpe disseruit[1]; nec memoria indignum videtur id, quod de quodam sene narrat, ab iis in Hungaria interfecto. Is, cum dux olim fuisset, et ad ordinem Prædicatorum relicto mundo sese transtulisset, jam appropinquantibus Tartaris fratribusque aufugientibus id sibi concedi petiit, ut solus in monasterio remaneret, pauperes et debiles, qui fugam inire non possent, verbis et exemplo solaturus. Quod postquam aliquo tempore intrepidus egisset, « ipse usque ad irruptionem barbarorum, pronus in oratione et lacrimis, in ecclesia in modum crucis extensus ante altare jacebat, et sic ab impiis est occisus. Recedentibus ergo Tartaris, ad domum fratres reversi sunt, et fratrem, quondam ducem, lanceis terebratis pedibus et manibus, atque confossis omnibus membris, et cerebro excusso de capite, coram altari, ut dictum est, invenerunt[2]. »

Comanorum gentem pariter a Tartaris victam et fugatam esse memorat Thomas, idque se a quodam ordinis sui fratre, Comano, novisse dicit, « nobilissima ducum prosapia » oriundo, qui eodem tempore ad christianam fidem conversus sit. Addit se ab eodem fratre audivisse, Comanos, eo puero, in tabernaculis vixisse, necdum domibus usos esse[3]. Tantum autem metum Tartari christianis populis incusserant, ut multos in Gallia et Germania mirus occupaverit timor; nec omnibus illa fiducia fuit, quæ in pia quadam sanctimoniali, tunc Brabantiam incolente, ut narratur, apparuit. Hæc enim, confitente quodam se de proximo barbarorum adventu valde sollicitum esse, qui jam ad Bohemiæ fines advenissent: « Nihil, inquit, jam, carissime, « verearis, quia tot sunt in terra ista animæ beatorum, et in « his maxime claustris, quod nullus est hic Tartarorum exerci- « tus formidandus, sanctarum orationum jaculis repellendus[4]. »

Quanto majus christiano populo periculum ab illis qui, dum inter fideles vitam agunt, fidei non sunt sectatores, sive illam a natalibus ignoraverint, sive ab ea, in hæresim lapsi, declinaverint! Judæos odit Dominicanus noster, idque omni ope et opera procurandum existimat, ut eos Christiani vel ad suam fidem convertant, vel impugnent. Lætatur itaque narrans eorum mulieres vel puellas quandoque in Brabantia et Germania religionem christianam amplexas esse[5]. E quibus quamdam virgi-

1. II, XLIV, 1; II, XLIX, 4.
2. II, XLIV, 2.
3. II, LVII, 11.
4. II, II, 3.
5. II, XXIX, 20-21.

nem in monasterium invitis suis confugisse dicens, id patri et amicis ejus exprobrat, quod « per episcopum Leodiensem, tandemque per papam Honorium. datis maximis pecuniis, » decerni procuraverint, ut infra ætatem legitimam filia ablata parentibus redderetur [1]. Et parum abest quin summum pontificem auro hebraico corruptum dicat, qui profecto non id tolerandum esse putavit, ut pueri, etiam colendæ religionis causa, e parentum manibus elaberentur. Hoc etiam crimen non effugit archiepiscopus ille, quem Gualterium Cornutum, Senonensem metropolitanum, fuisse credunt, quique codices Talmudicos, suadente Henrico de Colonia, Dominicano, Judæis ablatos, illis restituendos esse censuerat. De lite vero, quæ his coram rege super hoc acta est, plura frater Thomas, et a doctis quidem sæpe recitata, retulit [2], peculiare quid de illis tractatibus referens : « Nota autem, lector, quod omnes orientales Judæi hæreticos et excommunicatos reputant hos Judæos, qui contra legem Moysi[s] et prophetas hunc librum, qui Thalmud dicitur, recipiunt et conscribunt. »

Infelices ergo Judæos Thomas nefandis sceleribus onerat, et ab iis puellulam quamdam in oppido Sueviæ, Pfortzheim dicto, nuper raptam atque inter cruciatus occisam esse credit. Quam, pluribus jam diebus mortuam, refert adveniente marchione de Baden sese erexisse, manusque ad illum tetendisse, « quasi vindictam sanguinis, vel forte misericordiam imploraret. » Sanguine porro e vulneribus erumpente Judæi scelus admisisse arguuntur, una cum quadam vetula, quæ puellam iis ferebatur tradidisse, in rota vel in patibulo intereunt ; quorum supplicio-rum metu duo ex iis sese mutuo jugulant. Rem sibi Thomas a duobus fratribus Prædicatoribus narratam esse asserit, qui in eodem oppido paucis diebus post patratum facinus affuerint [3]. « Hinc igitur videndum est, ait, cur Judæi secundum consuetudinem in omni provincia quam inhabitant christianum sanguinem fundant. Certissime enim compertum est quod omni anno in qualibet provincia sortes mittunt, quæ civitas vel oppidum christianum sanguinem aliis civitatibus tradat [4]. » Et profecto nimiæ credulitatis arguendus sit qui talia scripsit, nisi

1. II, xxix, 20, p. 298.
2. I, iii, 6.
3. II, xxix, 22.
4. II, xxix, 23.

memoriæ occurrat multos et tunc et ad nostra usque tempora idem facinus Judæis pluries adscripsisse.

Major etiam fratri Thomæ, si fieri potest, in hæreticos asperitas ; hi sunt enim, quos maxime invisos habuerunt Dominicani, propagandæ christianæ fidei in primis addicti. Hos quoque noster, quotiescumque occurrunt, debito more salutat, et quoniam id non ipsi ex injuncto incumbit officio, ut de illorum pravitate inquirat, dominicana in eos, verbis saltem, lenitate utitur. Nec in illa quidem, quam inhabitat, regione desunt quos ultioni divinæ hominumque vindictæ indicet, neque in Lombardia tantum [1] Albigensiumque terra, sed et in Germania [2], in Hannonia Brabantiaque tunc temporis pullulaverunt hæreticorum errores. Guiardum, Cameracensem episcopum, eo quo decesserit tempore, « in via contra Antverpienses hæreticos » fuisse dicit frater Thomas [3], quibus nimirum Guillelmus ille Cornelius annumerandus est, quem de colenda paupertate quædam non recte sensisse tradunt : « Hic quidem, in hypocrisi et simulatione diutius conversatus, præbendæ beneficium, quasi sub prætextu perfectæ paupertatis, dimisit, et tamen luxuriæ totus erat deditus. Dicebat autem, sicut rubiginem igne, sic omne peccatum paupertate consumi et ante Dei oculos adnullari, meliorem esse publicam meretricem pauperem, quam aliquem justum perfectissime continentem, aliquid in sui subsidium retinentem, et propter hoc omnes prorsus religiosos esse damnatos. » Nec ea, quam vivus effugerat, post mortem pœna caruit ; nam illum elapso quadriennio e sepulcro erui et comburi jussit Nicolaus, Cameracensis episcopus [4].

Laudibus ergo, ut par erat, a Thoma Cantipratensi decorantur qui hæreticos e vestigio sequuntur et damnant. Fulconem de Gandavo quartana febre insanabilique fluxu ventris multatum esse refert, quia Jacobo Vitriacensi, legato, parere noluerit, injungenti ut crucem in Flandria contra hæreticos Albigenses prædicare aggrederetur [5]. Miserabilem quoque interitum cujusdam Ægidii Boogris [6], lætitia minime dissimulata, narrat, quem atrocissima morte ablatum videmus. Qui cum timeret ne a Dominicanis hæreseos reus inveniretur (multos enim illi tunc

1. I, v, 2.
2. II, LVII, 23.
3. I, IV, 4.
4. II, XLVII, 3.
5. I, XXII, 2.
6. Ægidius Boogris, sive Bulgarus, id est, hæreticus (II, LVII, 68).

in civitate Cameracensi pravitatis hæreticæ causa comburebant), ad domum quamdam, ubi obsessi a dæmonibus homines sanari ferebantur, ligatum se ab amicis deduci jussit, « ut in eo non hæresim propalatam, sed furiam reputarent. » Contigit autem ut in eadem domo quidam clericus, mente parum sanus [1], ei vicinus esset, qui cum agnoscens et, facta nocte, vinculis quibus alligabatur « divino nutu » solutus, ad Ægidium compeditum accessit, « et aggregans mattas et stramina, atque ecclesiæ scamna, super ligatum hæreticum cumulavit. Ludum autem et furiam credens ille, dissimulat quoad usque clericus, ignem de lampade sumens, comburere cumulum cœpit, et tunc hæreticus exclamavit. Ad cujus vocem expergefacti custodes cum ignem extinguere niterentur, clericus arrepto gladio, quem casu juxta lectum invenit, omnes violenter abegit, et hæreticum in igne combussit. » Fratrem Prædicatorem si quis miretur abjecta omnino commiseratione horrendam infelicis hominis necem narravisse, hæreticos eo tempore consideret publicos hostes humanique generis inimicos et optimo cuique visos esse, Thomamque Cantipratensem inter eos, qui fidei catholicæ adversariis parcendum duxerint, minime habendum.

Quodcumque autem de odio fratris Thomæ in Judæos et hæreticos, de illius indole, de iniqua etiam, qua in multos usus est, acerbitate sentiendum sit, non parvæ illi, ni fallimur, grates agendæ sunt, nec ideo contemnendus liber, quod plura in eo desideranda vel reprehendenda videantur. Legatur itaque, et ab illis qui rebus decimo tertio sæculo gestis studuerint exploretur; legentem tamen nunquam fugiat non historias servato temporum ordine digestas in *Bono universali* quærendas esse, neque auctorem id sibi in animum induxisse, ut æqualium gesta posteris traderet, ea immo, quæ de moribus clericorum, de illorum etiam officiis sentiret, adjectis illustraret exemplis. Annorum numeris, qui passim in opere scripti reperiuntur, ipsis etiam hominum nominibus, non plena semper addenda fides. Hoc præterea in primis perpendamus Thomæ Cantipratensi neminem bonum, justum, laude dignum unquam visum esse, qui ordinem Prædicatorum qualicumque modo læserit. Avaritiam, luxuriam, incontinentiam in illis, de quibus locutus est, iniquo animo toleravit, ut qui paupertati abstinentiæque semetipsum ultro addixisset; ceterum probus, et illis etiam locis, ubi erravit, se vera dixisse credens; de vita autem æterna, de purgatorio, de

1. Obsessum dicit Thomas.

inferno dæmonibusque adeo sollicitus, ut rebus ipsis fabulas invitus admiscuerit.

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
a. d. III Nonas dec. ann. MDCCCXCIV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITUM

I. — De vita Thomæ Cantipratensis. 1
II. — De variis Thomæ operibus. 10
III. — Bonum universale de apibus quo tempore scriptum sit. . . . 15
IV. — De codicibus manu scriptis. 16
V. — Quibus temporibus opus translatum vel typis mandatum sit. 20
VI. — Quid sibi Thomas, librum conscripturus, proposuerit, quave opus arte perfecerit. 22
VII. — Thomæ Cantipratensis indoles. 29
VIII. — De ordine Prædicatorum. 36
IX. — De ceteris monachorum ordinibus. 43
X. — De sæcularibus clericis. 47
XI. — De pravis multorum moribus. 51
XII. — De quibusdam regibus, optimatibus et mulieribus generis nobilitate præclaris. 56
XIII. — De quibusdam summis pontificibus, cardinalibus et prælatis. 61
XIV. — De quibusdam rebus eo tempore gestis; de Judæis et hæreticis. 65

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

3575 .13



3 2044 012 409 942

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.